

DE GENTE AQUAVIVA ARAGONIA

DISSERTATIO

HISTORICA GENEALOGICA CHRONOLOGICA

ET

ORATIO PANEGYRICA

Ad Ill.mum & Exc.mum Principem

D. TROJANUM AQUAVIVUM

ARCHIEPISCOPUM LARISSÆ
Sacro Palatio Præfectum

BALTHASARRIS STORACII
Presbyteri & Jurisconsulti Neapolitani,
in Romana Curia Causarum Patroni.





ROMÆ excudebat Rocchus Bernabò MDCCXXXII.
PUBLICA AUCTORITATE.





Excellentiſſime Princeps.





UOD in more poſitum; inſtitutoque Sapientiſſimorum Virorum comparatum eſt, ut qui non levitate quadam animi, ſed certa meditataque deſtinatione ad negotium aliquod capeſſendum feruntur, præſertim ſi in eo præcipuum



dignitatis momentum vertatur, ferme honestatem rei, ac magnitudinem expendere consueverint, propius ad veritatem accessit. Nam quod vulgo de commodis addi solet, Socraticæ, Stoicæque disputationes jam pridem repudiaverunt, nisi quod conducibile, atque honestum sit, nullamque in pravis, aut nullius momenti rebus utilitatem norunt. Ubi vero tanta vis sit honestatis, ut pene in ordinem coacta prudentia cultorem virtutis animum protrudat in res arduas, imo difficillimas non tam spe perpetrandi cœpta, quam amore rectitudinis, tunc ab hominibus, quorum acies ad naturam rerum penitus introspiciendam hebes, velut in cortice, & putaminibus obhæret, quod officium est, temeritas judicatur. Quin vulgus ipsum veri non ignarum magis, quam incuriosum prudentiam externis rebus metiri adsuetum, sæpius etiam stultitiæ nomen appegit. Id quo certius affirmare possem, meo exemplo edoctus sum. Quum enim sæpe alias de illustrioribus Italiæ familiis orationes comparassem, nonulli fortasse dolebant vicem meam, quod hominem forensibus studiis, ac clientum patrociniis

ad-

addictum rei literariæ laboribus absumi, piaculum fore existimarent. Excipiet enim atrox, & infame naufragiis pelagus, quod etiamsi præter solitum sævire nolit, sola tamen nausea posset enecare hominem maritimæ jactationi non adsuetum. Quod quam pravum sit, atque ineptum, quam a ratione, rerumque optimis æstimatoribus abhorrens, nemo non videt. Namsi quos in unaquaque Urbe sapientia decet excellere, ii profecto sunt Jurisconsulti, quibus & privatorum opes, atque existimatio, nonnumquam etiam totius Reipublicæ cura commendatur. Sapientes autem minime puerilis quædam literarum institutio, & forensis sive calliditas, sive exercitatio valet efficere, sed præter leges, atque instituta, philosophorum etiam præcepta, historiaque totius humanæ vitæ diuturna spectatrix. Quid vero de eloquentia dicam, quæ modo jurisprudentiæ adjuncta est? ut quæ olim in duo hominum genera dispertita fuerant juris peritia, & dicendi copia, nunc simul in uno jurisprudentis multum literis, ac probe subacto ingenio requirantur. Quod eruditorum omnium documenta, & paucitas eorum, qui

eloquentiæ laude floruerunt, abunde probaverit. Quo minus æquo animo ferendæ sint eorum objurgationes, qui male me egisse fortaſse clamitarent, quod veluti deserta jurisprudentia, quæ nostra Sparta est, alienas provincias susceperim exornandas. Nam Deum immortalem! in crimen forte adducar, quod divisis lucubrationum temporibus, postquam jurisprudentiæ affatim satisfecerim, in Philosophiæ, meliorumque artium sinum postea confugiam? Nonne suaves isti sunt, Princeps Excellentissime, qui rei magnitudinem forensis causantur, & tantam forensium rerum molem, ac verietatem esse aiunt, ut quantum opera, atque ingenio contendatur, vix eorum studiorum satagi posse affirmare non erubescant. Quid vero de Oratore dignius, aut ornatius dici potest, quam vires suas omnes intendere ad egregiorum principum exempla illustranda? Quid jucundius, atque antiquius eloquentiæ professori, cujus tam late patet officium, accidere potest, quam in evolvendis vetustissimorum temporum rerum publicarum consiliis, ea revocare iterum, atque illustrare studeat, quæ ma-

magis ad utilitatem populorum accesserint.

Quem autem alium majorem laboribus meis honorem præfigerem, aut qua illos majori dignitate, quam patria, & petita a Principibus suis insignirem? Occurrebant in assidua historiarum commentatione Principes viri quamplures, ad quos literarum hoc munus deferrem, nemo autem mihi, Princeps clarissime, familia tua fuit acceptior, aut jucundior. Ad quid enim ad illustrandam Italicæ gentis claritatem exteros splendores arcesserem, si maximi, ac prope singulares suppetunt domi? Vendicat enim patria, suo veluti jure, debitos sibi suorum ingeniorum partus, quemadmodum bona filiorum parentes, & servorum prolem vernasque domini.

Id igitur a Te, quasi jure debitum petere posse mihi videor, cum vetustatem, atque excellentiam tui generis in monumentis omnibus historiarum sparsam animadverterim; quæ tantopere patrios fines illustravit, & pari in posterum spe complevit. Grati igitur animi significatione, & virtutum ejus admiratione raptus historica dissertatione, ac panegyrico prosequi conatus sum. Ut intelli-

gant

gant omnes, me in hoc præcipuam privati officii rationem habuisse, & ipsi, cujus sub auspiciis Patriæ dulcissimæ eductus, atque enutritus sum, fidum & obsequentem me ostensurum, in eamque, quam possim, benevolentiam in efferendis Principibus suis navaturum.

Cum vero præcipuum gentis tuæ decus Tumet ipse sis, Princeps optime, qui tuum non satis esse, quidquid ab aliis provenit, reputans, ita ab ineunte ætate te comparasti, ut potius ipse te posteris tuis præclarum nobilitatis auctorem præstares, quam majoribus heredem. Quid plane de judicio, fortitudine, liberalitate, magnificentia, omnibusque aliis egregiis animi tui artibus dicam? Quam multa, quamque eximia me præterire orationis prolixitas cogit. Quæ sparsim, quæque conjunctim ipse audivi, vel certe cognovi in Romani Principatus regimine pertractando a te mirifice expressa. Quid autem ad usum Reipublicæ expeditius, quid ad vim dignitatis efficacius excogitari potest, quam, quod a te Sacro Palatio Præfecto ad magnificentiam Romanæ Ecclesiæ vindicandam, majestatemque summi Pontificis exor-

nan-

nandam patratum est, laboratumque. Nunc in isthac maturitate judicii, mirifico virtutum omnium concentu, summo consilio, exacta prudentia, animi magnitudine, morumque æquabilitate adeo excellis, ut quamquam in lucem emitti modestia tua modo non sinat, non longe tamen abesse majora dignitatis tuæ ornamenta patiamur, quibus Romanam Ecclesiam Majorum tuorum Purpuratorum Patrum exemplis, atque institutis, quæ propria gentis tuæ fuerunt, illustrare debeas. Quæ tantum absunt, quominus omnes deprecentur, ut potius nemo inveniatur, quin ea quanto citius meritorum tuorum famæ obventura pro certo habeat. Tum profecto gratulabunda Italia novos cum Ecclesia, Europaque universa plausus luculentius, ac pulchrius confundet, & in tanta gentium, ac linguarum varietate eadem, & mens una manifestabitur, quæ Te ornamentum familiæ tuæ, ac Romanæ Ecclesiæ propugnaculum, unum omnium præcipue colendum, atque observandum susceperit.

Tu interea, Princeps amplissime, qui mihi spem injecisti tibi hoc politioris litera-

turæ

turæ munus gratum futurum, meique patrocinium, quod jam dudum suscepisti, constanter prosequere, atque hosce labores, quicumque sane sint, quique multis nominibus, Patriæ præsertim inscribendi fuerunt, solita benignitate complectere, ut quidquid valeant, valeant Tibi: Nil etenim nobilem, magnumque Principem magis decet, quam literarum, atque honestorum hominum tutela: Ego vero, qui omnia tua causa velle studui, ita nihil ardentius cupiam necesse est, quam tuam, tuæque familiæ æternam felicitatem, & gloriam. Vale. Romæ XVI. *Kal. Martias* MDCCXXXII.

Umillimus atque obsequentissimus famulus
Balthasar Storacius.

IN-

IMPRIMATUR;
Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanensis Vicesgerens.

APPROBATIO.

Librum, cui titulus: *De Gente Aquaviva Aragonia Dissertatio Historica &c. Oratio Panegyrica Balthasarris Storacii &c.* jubente Reverendiss. Patre Sacri Apostolici Palatii Magistro perlegi; nihilque in eo reperi Catholicæ Religioni, aut Christianis moribus dissonum, immo ornata omnia eruditione, & laudibus inclitæ Aquavivæ Gentis. Quare illum tuto in lucem edi posse censeo, ita tamen uti edatur, quemadmodum eumdem legi, & adprobavi. Sic censeo.

Josephus Roccus Vulpius Societatis Jesu Romæ ad S. Athanasii Magni, Studiorum Præfectus, & S. Theologiæ Polemicæ Lector.

IMPRIMATUR.
Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

DE



DE
GENTE AQUAVIVA
ARAGONIA
DISSERTATIO
Hiſtorica, Genealogica, Chronologica

Προλεγομένη.



Um Italicam gentem non minus armis, quam imperio potentem atra Septentrionis barbaries in Italiam repente irrupta, ejuſque ſacra, ac profana omnia ſuſque deque habuiſſet, alluvione quadam inſignia potiſſimum familiarum ſecum abripuit (1). Bellorum enim ubique tumultus inauditi, regionum, ac provinciarum vaſtitates, teterrimaque hominum pernicies eos præci-

1 Fuſius probant P. Jacobus Sirmundus Tom. 1. de propriis nominibus mediæ ætatis. Johan. Mabillon. de re Diplomat. lib. 2. cap. 7. Ferdinandus Ughellus paſſim in Italia Sacra, & Scipio Ammiratus parte 1. Nobilium Famil. Neapolitan.

pue aggressæ sunt, quos opibus, atque imperio potentes eorum victoriis veluti quædam repagula opposita existimabant. Offensum quapropter cum primis nobilium virorum ordinem eorum furore nemo est, qui non videat. Virtutis nomen, aut nobilitatis inane fuit, imo periculosum apud barbaras gentes, quæ ultra corporis firmitatem, ac lacertorum vires nullam præterea virtutis imaginem agnoscebant. Itaque, cum præter Romanos, conterminam quoque, ac validam gentem, qua dolo, qua armorum multitudine potius, quam dexteritate oppressissent, & militiæ postmodum gnaros experti essent, laborum omnium socios, imperii vero, ac gloriæ voluerunt omnino expertes esse. Hinc factum plerique suspicantur, ut, quæ formidines, odia, sævities exterarum gentium Italicas plerasque familias occluserant, bella postmodum ipsa aperuerint. Post compositas autem domi res, post reversam veluti posthliminio libertatem in id consilium totis viribus populi incubuere, ut imperium propagarent. Quamobrem viri omnes e re literaria optime meriti, (2) qui antiquitatis memoriam late consulerunt, non temere existimarunt, ut decimo vertente Ecclesiæ seculo clarissimarum potissimum familiarum in Italia nomina perspecta fuerint. Quod cum aliis multis AQUAVIVÆ imprimis familiæ contigisse intelligimus. Octavum enim jam seculum agitur, quo splendidissima Aquavivorum gens sub eo nomine consalutata est. Egregiores Italiæ urbes, imo provincias universas dominii summo jure rexisse, totamque Italiæ partem, qua Picænus

2 Apud Mabillonium loco laud. Papebrochius in respons. ad exhibit. errorum ad art. 6. §. 3. Natalis Alexander secul. XII. cap. 10. art. 2. n. 2.

cænus ager ab Adria alluitur, totes ſinus, & immenſa prope ſuperi maris ſpatia, quæ Picænum, Samnium, Valeriam, atque Apuliam complectuntur, (3) eorum paruiſſe imperio conſtat. Quamobrem tranſvectas ex Europæ finibus in Italiam familias, accitas ex Hiſpania, Gallia, Germaniaque numquam de nobilitate cum iis contendere potuiſſe hiſtoricorum conſentio propugnavit. (4) Sed quia tantæ Gentis inſignia tradituri ſumus, congruens primum videtur primordia ejus aperire.

Scriptores nonnulli ex invictiſſimis Auſtriæ Ducibus, (5) alii ex Bavaricis educunt. Galli quoque ſuam vendicant (6). Alius autem cum nobiliſſimis Caracciolis confundit (7). Non minus etiam arriſit eru-

 ditis

3 Feuda omnia in unum collegit diligentiſſimus vir Blaſius Altimarus Regius conſiliarius Neapolis Philippi III. Regis Hiſpaniarum, qui in magiſtratu Regiæ Cameræ obeundo Regeſta antiqua præ manibus habuit; atque ita in *monumentis hiſtoricis Aquavivæ familiæ* enumerat ab ea poſſeſſa *Alvianum cum ſuis Caſalibus, Avianum, Aroſam, Bacucbum, Biſentum, Caſamaximam, Canzanum, Balvianum, Carminianum, Cantalupum, Caivanum, Caſarborem, Cuperſianum, Caſtrum vetus, Caſtrum Boccanum, Caſtellionem, Chiavanum, Caſtrum rubrum, Caſtagnam, Caſtrum Turrium, Caſteln.um, Cellinum, Civitellam ad Truentum, Caſaleratum, Collemarmoreum, Colonelam, Codiſcum, Coropolim, Curſium, Dragonem cum ſuis Caſalibus, Forcellam, Trojam, Iſuardum Montepertum, Monteſuſculum, Montem Silvanum, Montonum, Mojolanum, Montem Majellæ, Molanum, Muſanum, Notareſium, Offenam, Pajum, Podium ad Juvanum, Podium Abuſanum, Podium Morellum, Podium ad Roſam, Podium ad Fajanum, Pinnam, Planellam, Piceritum, Proconadam, Quivianum, Ripam, Ripaconam, Ripam Grimoaldam, Roginum, Ruſianum, Roſetum cum ſuis Caſalibus, Rillanum, S. Cuſanum, S. Georgium, S. Omerium, S. Johannem, Scurranum, Sternateam, Toranum, Tortoredum, Turrem Truenti, Traſmundum, Turinum, Valanum, Valatum, & Arenam, Principatum Interamniæ, & Caſertæ, Ducatum Adriæ, Ebuli, Nereti, & Nucum, Marchionatum Bitunti, & Bellantis, Comitatum Cuperſani, S. Valentini, S. Flaviani, Montorii, Aleſſani, Uxenti, Duplicis Aquavivæ, S. Agathæ, Juliæ Novæ, Jojæ, & Caſtellanæ,* in iiſque recitandis ipſe Altimarus obſtupuit teſtis omnium oculatiſſimus.

4 Ammiratus p.2. Nobil.Famil.Neapol. in familia Aquaviva, & Franciſcus Zazzera in lib. de Nobilitate Italiæ p. 1. de familia Aquav.

5 Philippus Scala in libro de Antiquit. Terræ Laboris. Anſelmus Brixiæ in vita Papæ Gregorii II. Chronicon Antiquiſ. factorum Caroli I. Regis, & Paulus Antonius de Tarſia in hiſt. peculiari Regni Neapol.

6 Blaſius Altimarus in monumentis hiſtoricis, Jacobus Wilhelmus IM-Hof. in hiſtoria Genealogica Italiæ & Hiſpaniæ, in Exegeſi hiſt. famil. Aquavivæ.

7 Franciſcus Elius Marcheſius ex Scriptore Juvenatii arripuit, quos confutavit egregie Franciſcus de Petris in Chronologia Gentis Caracciolæ.

ditis eorum ſententia; (8) qui ab Othone I. Imperatore circa annum 960 in Italiam fuiſſe advectos e Germania, a qua totius fere nobilitatis fons derivaſſe in Italiam nonnullis viſus eſt, ibique Aquavivi Oppidi comitatu in Apulia a Cæſare donatos, familiæ poſtmodum nomen dediſſe, excogitarunt. Quæ omnia neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt. Ipſe eorum ſententiæ accedo, (9) qui Aquavivam gentem nullis aliis exterarum nationum ſplendoribus in Italiam propagatam oſtendunt, ſed Italicam agnoſcentes ab oppidis ſuis, quibus a vetuſtiſſimis temporibus in Apulia Peucetia, quæ modo Terra Barii nuncupatur, imperarunt, (10) nomen gentilitium fuiſſe ſortitam. Et, ſi mea ſuſpicio cuiquam ſedeat, a Langobardornm Principibus ortam ducerem, qui latiſſime per Italiam jamdudum a ſexto ſeculo imperarunt: nimirum a Ducibus Spoletinis, qui de more gentis, quæ feudorum conſuetudinem induxit, ſuis filiis & nepotibus, etiam dum viverent, tradebant titulo comitatus Civitates, & oppida. Quæ quidem conjectura non longe a veritate abhorret ex eo, quod Spoletum verſus antiquitus feuda omnia poſſediſſe conſtat, legibuſque Langobardorum adhuc addictus decimo tertio Eccleſiæ ſeculo Rainaldus II. Comes Aquavius cum fratribus ſuis, ac nepotibus fertur (11). Ut ut autem hæc ſe habeant, in hac familia fuiſſe memorantur Armoni-

cus,

---

8 Philibertus Campanilius de nobilium Inſignibus, in familia Aquaviva, in quem acriter invehitur Ammiratus, & Zazzera locis laud.

9 Mire oſtendit Ammiratus, Johannes Jovianus Pontanus, Zazzera, Carolus de Lellis in famil. Nobil. Neapol. aliique.

10 Jacobus Wilhelmus IM-Hof in dicta exegeſi hiſt. & Leander Alberti in accurata deſcript. Italiæ.

11 Ex Scripturis exiſtentibus in Regeſto Regiæ Cameræ Neapolis anni 1275. quas inſpexerunt Ammiratus, Philiber. Campan. & Zazzera.

cus,& Maximinus Equites fortiſſimi. Rodulphus etiam in expugnatione Hieroſolymorum Dux invictiſſimus cum primis adfuiſſe fertur (12). Papinianus vero ab Hadriano I. Pontifice electus, Albericus ab Alexandro II. & Julius ab Hadriano IV. Cardinales omnes ampliſſimi Aquavivæ familiæ adnumerantur (13). Nulli vero dubium, quod de Sancio Comite Aquavivæ traditum eſt, (14) a quo anno 1014. donatio quædam cum Drogone. Normannio Comite Apuliæ facta Cathedrali Eccleſiæ Neocaſtri proſpicitur. Oddo autem de Aquaviva Eques nobiliſſimus fuiſſe videtur ex ſtipulatione quadam permutationis, & cambii terrarum quarumdam pro Hoſpitali Eccleſiæ S. Leonardi de Furca Pyrrhi ſub Alexandro II. Romano Pontifice, necnon ex alia, (15) cui Tortuarius de Aquaviva Comes ſubſcripſit tempore Paſchalis II. eam gloriam perantiqnis temporibus omnes aluiſſe viſi ſunt, quam vix quidem alius meo judicio eſt conſecutus.

Eſt tamen videre apud veteres hiſtoricos, recenteſque quanto in honore habitus fuerit Rainaldus I. Comes de Aquaviva, cui ab Henrico VI. Imperatore Neapolis Rege anno 1195. conceſsio feudorum facta fuit vix alias in Europa de maximis Principibus audita, quæ, utpote maximi momenti, ita ſe habet: (16) *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis*: Henricus *VI. divina ſavente clementia Romanorum Imperator ſemper Au-*

12 Anſelmus Brixiæ loco laud.

13 Ut Ciacconius, & Victorellus in dictis Pontificibus ſuſpicati ſunt, & Blaſius Altimarus in ſuis hiſt. monum. notavit.

14 Apud Zazzera ex M. S. antiquiſſimo hiſtoriæ Regni.

15 Ex Authenticis Sctiptutis *Oddonis Sancii*, & *Jortuarii* de Aquaviva manu ſignatis, quas vidiſſe teſtatur Zazzera loco laud.

16 Diploma authenticum ex Regiæ Cameræ Tabulario excerptum vidiſſe, & ſervari adhuc teſtantur Ammiratus, Campanilius, Altimarus, Zazzera, Franciſcus de Petris locis laud. aliique.

Augustus; Rex Siciliæ etcet. dignum providimus, & esse de ratione censemus, ut ubi sinceritatis, & fidelitatis procedit obsequium, digna subsequatur compensatio meritorum. Inde est, quod nos attendentes sinceræ fidei, & devotionis constantiam, quam Rainaldus de Aquaviva, & Fortebraccia fideles nostri semper nostris servitiis habere, qualiter nondum cessant pro nostris utilitatibus, eos credimus in antea præstituros, de mera gratia, & innata nobis benignitate donamus, & concedimus in perpetuum prædicto Rainaldo de Aquaviva, uxori ejus Forestæ, & heredibus suis. Necnon Fortebraccia, Sconfittæ uxori suæ, & heredibus suis totam terram, quam tenuit Leonus de Atre pater prædictæ Forestæ tam in demanio, quam in servitio, cum omni jure, honore, tenimentis, & pertinentiis suis, sicut idem Leonus tempore Regis Gulielmi tenuit, & possedit, quod in demanio in demanium, quod in servitio in servitium, videlicet Bisentum, Balvianum, Ruglianum, dimidium Aucani, Collemarmoreum, Chiavanum, duas partes S.Georgii, Casaleratum, Poggium ad Juvanum, Scurranum, Poggium ad Rosam, Carminianum, Forcellas, Ripam Johannis filii Grimoaldi, Cantalupum, Castellum vetus, Aquavivam, Proconatam, S.Johannem de filio Tribuni, S.Mariam de Atri, cum Poggio ad Fajanum, Montempertum, & Castellum Boccanum. Ex quibus nihil clarius, aut luculentius de insigni nobilitate, atque antiquissima Rainaldi, Leonis soceri, Forestæ uxoris, ac Fortebraccia Fratris proferri potest (17); fanaticorum est enim, & eorum, qui e potestate mentis exierunt, meridiana luce accendere lucernam. His itaque eo splendore firmatis non multo post imperavit Andreas

17 Apprime animadvertit Ammiratus, Zazzera, & Campanilius ibidem, sursum versus, retroque Raynaldi Aquaviva familia perpendatur.

dreas filius a Friderico Cæſare anno 1240. Barenſis provinciæ Moderator deſignatus, ſplendidæ tunc temporis dignitatis adminiſtratio, in cujus finibus maximam feudorum partem poſsidebat. (18) Andreæ filius Riccardus I. vir magni ingenii, ac maximorum operum præter illas Patris, Avique terras, quas in Samnitibus, Marchia, atque Apulia regebat, *Cuperchianum* quoque temporibus Caroli I. Regis, cui nimio ſane opere acceptus fuit, anno 1273 excepit (19); ac poſtmodum 1281. hæreditario jure matris ſuæ dominus *Pacucchi* effectus; (20) anno vero 1283. ab eodem Rege in oppida *Arenariæ*, *Ameriæ*, *Caſtellionis*, *Caſtri montis Silvani* jus dominandi decretum (21). In Sicilienſi bello, ad quod in generalibus Regni comitiis Aquilæ habitis omnes Regni Magnates ab ſe convocatos excitavit, operam egregiam præſtitit, in Meſſanæ potiſsimum obſidione avertenda, quo propriis ſumtibus exercitum e Neapoli duxit (22). Revertentem ab ea provincia Rex Carolus II. *Nobilem Virum*, & *Dominum* ſuis literis conſalutavit, noviſque feudorum juribus *Offena* præſertim donavit(23).Nullum momentum, quin imo temporis punctum fuit in eo aut beneficiis ſterile, aut vacuum laude. Ex Jacoba de Piziis nobiliſsimæ olim familiæ filios ſuſcepit Gentilem, & Manerium, de quibus vetus hiſtoria parum, aut omnino nihil. Sed tantummodo memoriæ proditum Gentilem cum Margarita Caprifica conjunctum ſuperſtitem reliquiſſe

18 Ammiratus, Campanilius, Zazzera, & Jacobus IM-Hof.

19 Ex Regeſto Caroli I.Regis anni 1273.

20 Ex eodem Regeſto anni 1281. ubi Regius adſenſus perſpicitur.

21 Ejuſdem Regii Tabularii l.6. fol.77.

22 Ammiratus, Zazzera loco laud. Carolus de Leliis in familia Ruffa, & Campanilius ex antiquis Scriptoris.

23 Ex Regeſto Regiæ Cameræ Caroli II. Regis anni 1283. quod Ammirato, Campanilio, & Zazzeræ notum fuit.

quisse Jacobum præstantissimæ gentis Cubitosæ Aquinatis virum.

Riccardi Ducis triumphale nomen duo germani fratres Gerardus, & Rainaldus II. capaces jam imperii, & primis militiæ annis apud Italicos exercitus clari exceperunt. Ex Berardo ortus Gualterius anno 1269. dotalibus juribus Isabellæ Grossi gnatæ Matthæi Domini de Bisento in Aprutio, aliorumque locorum, uxoris suæ, super insignes civitates *Muri*, *Cassani*, *Ripæ Dracardi*, *Poggii ad Bassanum*, *S. Omeri*, *& Turris Truenti* investituram, ut ajunt a Carolo II. Rege obtinuit. (24) E vivis excessit anno 1289 relicto filio Matthæo I. qui eodemmet anno, dum Rex Reati morabatur, paternis feudis potitus, filios ex Imperatrice de Archis Domina de *Canopoli* suscepit (quamvis alii primo conjunctum matrimonio cum Philippa Comitis de Sangro gnata velint) (25) Franciscum, Isabellam Celani Comiti, & Enniam Gentili de Sangro nuptas.

Rainaldus autem II. licet paternæ amplitudinis cum suis æque gauderet, legibus tamen Langobardorum cum agnatis suis tenebatur (26); ab eoque geniti Conradus, Petrus, ac Rainaldus III. mire nobiles quascumque artes exercuerunt. Eos inter Conradus omnibus imperatoriis artibus instructissimus apud Robertum Regem multum valuit, cujus auctoritate anno 1309 oppida *Planellæ*, *Castri Rubrorum*, *Civitellæ*, *Offenæ*, & *Poggii* per vim a Friderico Lumano occupata

24 Ex authenticis Scripturis anni 1269. de quibus loquuntur Ammiratus, Zazzera, Campanilius, & novissime Jacobus IM-Hof locis laud.

25 Videre est apud Jacobum IM-Hof in sua Exegesi historica. Licet de priore uxore nihil scripserit Ammiratus, aliique Historici.

26 Perantiquis monumentis probant Ammiratus, Campanilius, & Zazzera de more illorum temporum apud nobiles viros.

ta ei fuerunt restituta. Magnoque Equitum insigne decoravit, ac regio stabulo præfecit. Pro Aquilanis bella aggressus, & sæpe triumphavit, *S. Valentini* Comitatum eximium excepit a Rege (27). Cum Francisca Troisia regiæ Normannorum familiæ junctus (28) matrimonio Averardum S. Valentini Comitem II. procreavit, cujus opera Pannoniæ Regi maxime profuit (29). Ex quo superstes filius Conradus II. S. Valentini Comes III. præter feudorum omnium confirmationem a Carolo III. anno 1382. statim obtentam, in calamitosissimis quoque Regni Neapolitani temporibus, magnis ipsius rebus gestis, quod armis, consilio, & octo mille pondo auri sui labantes res restituerit, Regis benevolentiam sibi conciliavit (30). Ex Antonella de Fontanai Conradus III. S. Valentini Comes IV. ortus, ipsiusmet filius, non nepos fuit, ut male nonnulli commentati sunt (31). Magnus Regni Manescallus, Duxque eximius cum nobilissima Melphii, ac Melitæ Comitis filia Menona Acciajola nuptias celebravit, & filiis omnino caruit; unde ad germanos fratres, eorumque nepotes pingue patrimonium transivit (32).

Quamobrem Matthæi I. filius Franciscus eodem tempore Patris sui obitus a Guidone Pramerano emit reliquam partem *Ripæ*, *Grimoaldum*, *Cantalupum*, &

Car-

27 Adnotavit Campanilius loc. laud. Ammiratus, & Zazzera, & late apud Regium Tabularium anni 1316. L. A. fol. 41. in quo *nobilis vir* & *Comes* vocatur.

28 Apud Campanilium, qui præ ceteris prodidit memoriæ.

29 Scriptum reliquit Johannes Villani lib. 12. Chron. cap. 110.

30 Ex Regio adsensu Caroli III. Regis præstito anno 1382. aliisq; publicis Scripturis illorum temporũ apud Ammiratum, & alios.

31 Contra Ammiratum propugnat Zazzera; imo palinodiam postmodum cecinisse Ammiratum testatur loc. laud.

32 Hac linea extincta in eo, Comitatus S. Valentini a nepotibus Ursinis venditus, anno postea 1507 ab eisdem Jacobo Tolsano pretio traditus fuit. Innuit omnia Ammiratus, & Zazzera, sed apertius tradidit Jacobus IM-Hof loc. laud.

Cardisium in Samnitibus (33). Et ex ſcripturis poſt ejus obitum inventis jura ſuorum in propatulo habita, quibus a Monachis S. Salvatoris Reati Caſtrum percelebre *Cordiſci* foret vindicandum, dum jam ab annis 1311. & 1319. (34) Franciſco reſtitutæ fuerunt partes aliæ *Muri*, *Canzani*, & *Poggii ad Baſſanum*. Quum vero controverſiæ quædam, & quidem nimis acriter cum Conrado I. Aquavivo conſobrino ſuo diu agitatæ fuiſſent pro priſco Oppido *Aquavivæ* in Marchia, Regis tandem Caroli II. auctoritate compoſitæ, (35) majoreſque ſtimuli admoti filiis ſuis Matthæo II. Nicolao, & Ludovico ex Johanna S. Georgii uxore habitis illuſtriora perpatrandi. Quod ex animi ſententia ceſſit. Vix enim Matthæus natu major, Jacobam Sanſeverinam regiæ ſtirpis ſibi junxit, & reliquas partes oppidorum *Tabujani*, & *Triviani* adeptus fuit, magnuſque Officiorum Comes anno 1349. a Regina Johanna I. renunciatus (36). Nicolaus quoque iiſdem inſignibus cum Ludovico germano ſuo decoratus, ſubditiſque ſuis apprime acceptus, Regis auxilium contra Aſculanos Picænos imploravit, qui in Marchia Anconitana, ac Samnitibus eos poſitos infeſtabant; quo rejecti bello tandem, atque confracti (37).

Eam ſimilitudinem natura, facie, elegantiaque ad animum Antonii filii ſui transferens Matthæus, multo etiam magis magnitudinem, ſplendorem, ordi-

33 Ex regio adſenſu Caroli II. Regis præſtito anno 1303.

34. 35 Apud Ammiratum, Campanilium, & alios ex Scripturis ab ipſis perſpectis.

36 Ammiratus, & Campanilius ibi, & Summontius in hiſt. Regni Neapolitani.

37 Ex antiqua Scriptura anni 1344, in qua Regis decretum legitur de ſubigendis Aſculanis, qui præter Aquavivam in Marchia, ad vaſtitatem vocaverant oppida Coropolis, Caſalis Morlani, & Caſtri Turrium Aquavivæ genti ſubjecta; Zazzera, & Ammiratus.

dinem in consiliis, factisque conservandum dedit. Quibus ex rebus conflata, & effecta conjicitur amplitudo illa domus suæ, quodque vere dicimus maximæ familiæ, belli, pacisque artibus ab eo decus additum. Maxime Romanis Pontificibus acceptus iterum, ac sæpius, iterumque bella in refractarios Romanæ Ecclesiæ Asculanos intulit, ac Cardinalem Ægidium, ejusque nepotem Demetrium Albornotii ex eorum manibus, atque obsidione circa annum 1376. eripuit (38). Carolo III. Regi contra Ludovicum Andegavensem armis profuit, unde a Rege ipso S. *Flaviani* Comitatu insigni anno 1382. donatus (39). Et postquam omnibus Regni administrationibus functus esset, anno 1392. *Interamniæ*, & *Adriæ* dynastiam insignem Aprutii reemit, quam usque ab anno 1195. Raynaldi socer Leo de Adria in domum suam nuptiis Forestæ filiæ transtulerat, postque ea tempora ignotum plane historicis omnibus, quo pacto ad alios transierit. Primusque Dux Antonius in Italia, & alibi etiam, a Ladislao Rege creatus, in regioque diplomate Regis ipsius *consanguineus* laudatur (40), qui ex eadem Sanseverina Matre cum Rege orti erant. Nec multo post Comes *Montorii* effectus regiam uxorem Ceciam Cantelmam ex antiquis Populorum dominis duxit. Iisdem temporibus Conradus IV. & Ludovicus Comes *Cupersani*, Ducis Antonii germani versati sunt in Regno. Conradus alias ad curas animum non vertit, quam ad-

38 Peculiaris historia antiquissima Regni Neapolitani M.S. enarrat, quam refert Zazzera ibid.

39 Ex Regesto Regio anni 1382 fol. 239. lit. B.

40 Ex regio diplomate in Tabulario Neapolis existente sub die 20 Junii 1392. & historici omnes tam patrii, quam exteri meminerunt ejusdem. Ex eoque ostendit eruditissimus Scipio Ammiratus primum Italiæ Ducem fuisse creatum, & fortasse etiam alibi.

domus ſuæ incrementum. Acriter quapropter ab eo cum Napoleone Urſino diſceptatum, quouſque celeberrimis oppidis *Piceriti*, *S. Cuſani*, & *Montis Majellæ* potiretur (41). Ludovicus vero Reginæ Mariæ probatiſſimus pro ea contra Andriæ Ducem Franciſcum de Baucio exercitum inſtruxit, & ad Colophonios res redegit, quibus Reginæ imperio iterum ſubmitteretur (42).

Antonio Duce Andream Matthæum I. Adriæ Ducem II. natum (de quo vetus hiſtoria Regni Neapolitani plura egregia reliquit in ſcriptis) Catharina Tomacella Cybo egregiis inſignibus ubique terrarum familiæ præſtantis uxore tradita Bonifacius IX. adfinitate ſua cohoneſtavit. Ladislaus Rex ob militarem virtutem magni fecit, & bello præfecit, quod adverſus Mariam Anghianam Principiſſam Tarenti Raimundelli Urſini viduam geſtum ipſi fuit. Eo deinde per matrimonium Regem inter, & Tarentinam contractum abſoluto, domum Aquavivus Dux reverſus, nonmulto poſt e corpore exceſſit (43); progenitique ab eo Duces Antonius II. Petrus Bonifacius, atque Joſias I. omnes Adriæ ducatu ſucceſſive gaviſi ſunt.

Antonius primigenus Dux Adriæ III. cum Principiſſa Maria Ladislai Regis uxoris filia matrimonio junctus, decretumque ob illud a Rege ſolemne fuit, læti tunc dies, feſta loca, Capuanum præcipue Caſtrum Regis domicilium conchyliatis periſtromatis, ac

41 Ex monumentis M.S. anni 1388 apud Zazzera.

42 Prolixe omnia complexus Angelus Craſullus Notarius Tarentinus in hiſt. Regni bellorum.

43 Ammiratus, Campanilius, Zazzera, & Ciacconius in Bonifacio IX. & fuſe vetus hiſtoria Regni M. S. apud clariſſimum Ducem Monteleonis.

ac luminibus ornatum Neapoli plurimorum mensium cursu (44). Non bella prosecuta, non arma, clausum omne ferrum, pax & quies antea ignota ea celebritate redierunt. Absque vero liberis decedenti germanus successit Petrus Bonifacius Adriæ Dux IV. Ladislao Regi carissimus, qui in diplomate quodam M.S. anni 1413. *consanguineum* suum commendat. A Regina quoque Johanna II. cum Catharina de Ricciardis conjunctus terras *Isuardi*, ac *Rillani* nuptiali jure vindicavit (45). Mox Siniscallus, & Regni Marescallus creatus innumeris prope feudorum insignibus excelluit, præcipue *Ortona*, *Termoli*, *Tollo*, *Juliano*, *Insula*, *Furca*, *Tossicia*, *Certore*, *Montesilvano*, *Macchia*, *Casula*, & *Alanno*.

Andreas Matthæus II. a Petro Bonifacio genitus Adriæ Dux V. nec diu, neque filiis gaudere potuit, quamobrem res omnes ad Josiam I. Ducem Adriæ VI. patruum suum redierunt (46). Interamniæ tantum Civitatem, & Dynastiam pretio aureorum sex mille & quingentorum emit ab Andreæ Matthæi Matre.

Interim Dux Josias adversus licet rerumpublicarum fluctibus assidue jactatus, plurima tamen fastis consignavit gloriæ suæ facinora, quantum nimirum roboris in Æsinæ urbis tuitione præ se tulerit; aut Aragoniorum Regum studiosissimus, quantum pro Alfonso Rege pugnaverit in insigni illa contra Genuenses pugna navali; quot ærumnas pro eisdem in Samnites re-

44 Jacobus Wilhelmus IM-Hof in sæpe laudata Exegesi hist. Campanilius, Summontius ex citato Chron. Ducis Monteleonis. Hujus Ducis Antonii II. facta, dotemque constitutam in XII. mille aureis Ammiratus diligentissime excerpsit ex authenticis Scripturis apud nobilem, doctumque virum Joh. Vincentium Sambiasi Dominum Candelæ in Aletii provincia.

45 Campanilius in famil. Aquaviva ex MS. anni 1413.

46 Ammiratus ibid. & Jacobus IM-Hof.

reverſus a Sforzienſibus alacri animo tulerit (47). Licet autem primo Alfonſi in Italiam adventu conſtanter ei adhæſiſſet, & utramque cum ipſo fortunam ſubiiſſet, ſtudio tamen Adriæ, Interamniæque recuperandæ impulſus, matrimonioque cum Sforzienſibus copulatus, Franciſcum, & Johannem fratres in conſilium, auxiliumque arceſſivit (48). Sforzienſibus autem rerum ſuarum ſatagentibus, arma, quæ jam pararat, mox depoſuit, Regique Alfonſo conciliari curavit. Poſt compoſitas res Joſiæ Ducis reditum in gratiam ſuam Rex nova terrarum, anno 1446. earum præcipue, quæ germani filio abſtulerat, conceſſione cohoneſtavit (49), quæ vernaculo ſermone ita Regis manu exarata fuit: *Avendo noi riguardo a' ſerviggi di Gioſia Aquaviva zio del Duca Andrea Matteo, gli donamo S. Flaviano con dignità di Conte, Cellino, Biſento, Caſtagna, Penna, Aviano, Roſeto con ſuoi caſali, Forcella, Canſano, Caſtelvecchio, Traſmondo, Notareſio, Montone, Tortoreto, Canopolo, Muſano, Turano, Santo Omero, Ripacone, Vallato, e la Troja*. Tribus uxoribus ex clarioribus Europæ familiis, Sforzienſi, Carraria, & Caldora ductis binos filios ſuſcepit, Julium Antonium, & Johannem Antonium. De ſecundo multa monumentis conſignata ſunt bella, quæ geſſit, quibuſque magnis provinciis, ac imperiis præfuit.

Igitur Julius Antonius S. Flaviani Comes, & Adriæ Dux VII. quum bellum a Patre ſuſceptum quodam veluti auctoramento ſe teneri perſequi noſſet, cum Ta-

47 Omnia Scriptis perſequitur Johannes Simonetta lib. 3. cap. 1. hiſtor. Sforzien. circa annum 1433. 1435. & 1438. Corius in hiſt. Mediol. lib. 8. & Bartholomæus Facius.

48 Facius ibidem, & Jacobus IM-Hof.

49 Ex Regio diplomate anni 1446 diei 22 Julii, quod recitat Ammiratus, Campanilius, & Zazzera laudatis locis.

Tarenti Principe socero suo octo mille equitum exercitum comparavit, ut illatas familiæ suæ injurias vindicare promtus in campum descenderet. (50) Quas cum nosset Ferdinandus Rex vires adhuc esse, ambiguas si deliberarent, acres si desperassent. Et licet victoria consiliis, ac ratione perficiatur, initia tamen bellorum civilium fortunæ permittenda. Jam exercitu Aquavivi Ducis Barensem provinciam, & pulcherrimam regni partem descivisse. Satis gloriæ anteactis præliis partum, majora sibi commoda, & multo maximum decus fore, si incolumitatem Regno sine sanguine quæsisset. Dux vero Julius Antonius terrore & fama aucti regii exercitus, quumque in occupatione Barii, ubi XL. aureorum millia servabantur, a Rege præventus esset, soceri vero filium nequaquam, eo ingenio præditum, paterno imperio parem duceret, (51) pacis non dedignabatur studium. His & aliis mitigatus Ferdinandi animus, & Aquavivi nominis robur, atque existimationem valde profuturam ducens in pactionem cum ipso venit (52), pro cujus securitate perpetua, & firmitate sequestres, & tamquam obsides pro Romano Pontifice Cardinalis Ravennatis Legatus Ecclesiæ, & Antonius de Trezzo pro Mediolani Duce accesserunt. E re quoque sua esse duxit Ferdinandus regium nomen suum Aragonium Julio Antonio, suisque omnibus perpetuo elargiri (53). Ab eoque tempore Rex Julii Antonii

50 Colenucius, Simonetta, & Jovianus Pontanus lib.5. Hist. adnotant ad ann.1463.

51 Accurate advertit mox laudatus Jacobus IM-Hof.

52 Per singula capita pactionem Regis cum Julio Antonio recitat Campanilius ex veteribus Scripturis, Ammiratus etiam memorat in famil. Aquaviva.

53 Post Ammiratum, omnesque historicos authenticum diploma vidisse testatur Paulus Antonius de Tarsia lib. hist. pecul. Regni, cui inter alia hæc verba Regis inesse profitetur: *Tu igitur* (Juli Antoni) *quod virtutes exigunt tuæ id effice, & præsta, ut honori, & decori sis armis & cognomini nostro; & brevi fore spera, ut majoribus te, atque illustrioribus simus titulis condecoraturi.*

nii opera consiliisque in summis pacis & belli rebus usus est (54); *neque enim minus in Toga, quam in armis vir hic claruit, ad præstantissima quæque natus munia domi forisque* (55). Itaque anno 1476. Friderico secundo genito Rex comitem dedit, & arbitrum ad nuptias cum Burgundiæ Ducis filia stabiliendas (56). Quo maximo negotio feliciter peracto anno 1479. fæderatorum armorum Regis cum Pontifice Sixto imperatoriam potestatem nactus, in Florentinos (licet militaris imperii auctoritas Urbinati antea Duci Romanæ Ecclesiæ Vexillifero facta esset) tam strenue pugnavit in expugnatione Collis, aliorumque locorum, ut conceptam jamdiu virtutis suæ opinionem in omnium animis magisque confirmaverit (57). Vix dum Turcarum arma Italiam aggressa, ad exitium jam, ac vastitatem Hydruntum vocaverant, atque in Calabriæ interiora penetrare ausi Regnum ipsum subjicere agitabant animo; & Julius Antonius apud Senas hærens imperator in Thraces totius Italiæ Principum consensu transmissus fuit. Inque eos, qui Hydrunto egressi prædæ faciendæ causa per agros proximos, in Stornariæ oppidum irruperant, quamquam exercitum exanimem, exterritum, dimidiatumq; haberet, acriter tamen certamen commisit. Dumque in primo cum Turcis conflictu suis terga vertentibus voce, & exemplo animum addere conatur, & Imperatoris, militisque impavidi fungitur munere, plus

54 Inquit Jovianus Pontanus hist. lib.5.

55 Mox laudatus Pontanus, qui subdit, præter avitam Aquavivæ gentis feudorum possessionem, anno 1464 Civitatibus quoque *Bitunti, Bitecti, Cassani*, & *Joja* cum omnibus suis jurisdictionibus Ferdinandum donasse illum.

56 Ex antiquo Chron. Ducis Monteleonis de anno 1474, & non juxta alios 1481 apud Zazzera.

57 Passim videre est apud historicos rerum Hetruriæ.

plus triginta vulneribus exanguis, ac confectus, medios inter hostes equo delapsus ab incumbentibus Turcis capite obtruncatus est (58). De quo fato tam acerbe Ferdinandus Rex conquestus est, ut palam fuerit professus, maluisse Hydruntum potius, quam tantum Ducem amisisse (59). A suis fortuito exceptus in Ecclesia ab eo condita Monasterii S. Mariæ in Insula Cupersani tumulatus, statua quoque marmorea erecta fuit.

De eo fama constans est, scriptis quoque tradita, quod everso, bellorum præsertim incendiis antiquo castro S. Flaviani prope ostium Truenti amnis, insalubri posito loco, aliud in mediterranea regione tribus mille ab eo passibus dissitum, & salubriore cœli temperie gaudens sumtibus extruxerit suis, *Juliam Novam* ab ejus prænomine dictum, & non minus quam Adriam ipsam Hadriani Cæsaris natalibus illustre (60). Magnus Regni Siniscallus fuit. Ludovicus quoque XII. Rex Galliarum insigne Equitum S. Michaelis ornavit. Filiis, quos ex Catharina Ursina de Baucio regiæ gentis Tarenti Principis suscepit, literarum studia commendabat assidue, sine quibus imperare Principibus non licere sentiebat. Ex ea uxore Ditio ipsi quæsita *Cupersani*, *Nucum*, *Turii*, *Casamaximæ*, *Castellanæ*, aliorumque locorum, quæ anno 1456 libens statim Rex adsensu suo firmavit (61).

58 Videndi historici omnes, qui res Italiæ complectuntur, & in diem 7 Februarii anni 1481 conferunt hanc pugnam acerrimam apud Stornariam Hydrunti oppidulum. Ammiratus, Campanilius, Zazzera, Pontanus, & alii.

59 Ut Scriptum reliquit post Ammiratum novissime Jacobus Wilhelmus IM-Hof, non solum Regi Ducis Julii obitus, sed ceteris Principibus quoque displicuit.

60 Leander Alberti in descriptione Italiæ p. m. 266.

61 Ex Regesto ejusdem anni diei 11 Aprilis Regii Tabul. Neapol.

Verum filiorum omnium, qui ab se superstites fuerunt uti natura, ita prorsus virtute excelluit longe Princeps Andreas Matthæus II. Adriæ Dux VIII. qui cum paterna bonorum omnium possessione, decora etiam omnia, regiæque imprimis familiæ, collata a Ferdinando Rege, iterum excepit. Anno vero 1484 *Interamniæ* Princeps, & Marchio *Bitunti* a Rege ipso primum consalutatus. Ad eumque literas ipsius manu exaratas existimatione insolita refertas misit; quas, utpote peculiariter animadverterunt Historici omnes, huc restituendas duximus, quæ italico sermone ita conceptæ fuerunt (62). *Principe come figlio, ricordomi molte volte havervi detto, e dichiarato esser mia ferma volontà donarvi, e restituirvi Teramo, siccome conosco esser tenuto sì per la grazia, e privilegio ve ne hò fatto già spacciare, sì ancora per l'ottimi servigi ricevuti da voi, e da tutta la Casa vostra, ed in speciale la buona dimostrazione avuta in questa presente novità. E come vi dovete ricordare, molte volte vi hò detto, che non stessivo mal contento de la dilazione hò fatto in darvi la possessione di quella Città, non per altro, se non per aspettare tempo più congruo, e conveniente ad eseguire il mio desiderio, il quale, come sapete, molte volte non si può eseguire, e bisogna noi altri Prencipi spesse volte per molti rispetti comportarle; dove parendone al presente esser venuto il detto tempo commodo per potere sodisfare al vostro, e mio desiderio; ho voluto scrivere la presente di mia propria mano, per la quale vi dichiaro, e certifico indubitatamente, che mò, e lo più presto sia possibile vi farò dare la possessione di detta Città, e per sodisfa-*

re

62. Authographum Epistolæ vidisse testatur Ammiratus, qui cum nepote Andreæ Matthæi Johanne Hieronymo I. familiarissime versatus fuit. Parte 2. Nobil. Neap. famil. in Aquaviva.

re all'animo vostro, e oltre il privilegio ne avete, ho voluto per questa ratificare, e confirmare, ed accettare tutto quello vi ho promessò, voglio possiate tenere, oltre le altre tenete per vostra cautela, e così nel principio, e soprascritto de la presente ve ne intitulo di mia propria mano. Vivete adunque contento, che mediante il grande amore sempre vi hò portato, e vi porto, e le virtù vostre, sempre saremo cosa, che vi piacerà, e donarete fede ad Angelo di quanto da mia parte vi dirà, al quale più lungo hò parlato; Scritta di mia propria mano in Foggia li 27 Settembre. Rex Ferdinandus.

Licet autem a nonnullis, Caleni potissimum Comite adversas Regi partes complecti visus esset, eamque ob causam apud eum acriter criminatus, re tamen comperta, (63) solus ipse ut memoriæ prodidit præ ceteris Camillus Portius illorum temporum scriptor egregius, Regis indignationem evasit. Intercedente enim Regis filio, quæ maxime placuit Patri, in pristinum decorem fuit restitutus (64(. At Princeps Andreas Matthæus multa morum elegantia, & ingenio illustris, dum fortunam omnem æquius toleravit, observantissimus semper & Ferdinando I. & Alfonso filio, & Ferdinando II. Regibus extitit, pro quibus postmodum exercitibus præfectus in Samnitibus, in Apulia, Brundusio, Hydrunto, & Tarento strenuissime dimicatus pensum suum optime accuravit. Sæpe etiam Venetos, Siculos, atque Hispanos in mutua fœdera cum Aragonensibus Regibus conciliavit, univer-

 sum-

63 Testatur Ammiratus, Campanilius, & Zazzera ab initio conjurationis Baronum in Ferdinandum, licet assidue tentatum numquam tamen novarum rerum architectis adhæsisse Andream Matthæum Principem.

64 Peculiariter animadvertit Ammiratus, & Campanilius loc. laud.

ſumque regnum victoriis peragravit, & gloria (65).

Poſtquam autem anno 1496 Fridericum Regem potentiſsimis armis rem Neapolitanam reciperatum ire vulgatum eſt, ac Regno potitus, memor Rex induſtriæ, diligentiæque Andreæ Matthæi, quæ in apertum diſcrimen res ſuas conjecerat, *Aquaviva* oppido in Barii provincia cum feudis aliis, & propugnaculis ipſis regiis vertente anno 1499 donavit (66). Cum vero Carolus VIII. Rex Galliarum ubique regnum invaſiſſet, atque alius alio certatim ad Gallos converterentur, eo uſque in fide Ferdinandi Regis ſtetit, dum de imperio ejus actum videbatur, parcendum tempori, ac neceſſitati ducens. Quamobrem anno 1503 prope Rutilianum in agro Barii a Petro Navarro Hiſpanicarum copiarum Duce improviſo aggreſſus, poſt acerrimam pugnam, in qua Johannes Antonius ipſius patruus cecidit, captus eſt (67). In qua captivitate *ad eam occulti ingenii frugem, quæ ab impotenti fortuna eripi non poteſt, generoſa meditatione pervenit* (68). Tandem fœdere matrimonioque ſancito inter Catholicum Regem, & Galliarum priſtinæ libertati, fortuniſque omnibus cumprimis fuit reſtitutus. Decedente mox anno 1515 Catholico Rege Ferdinando, iterum regni rebus perturbatis, cum ad Regnum capeſſendum vocatus eſſet Carolus V. Nepos Cæſar poſtea invictiſsimus, memoriæ proditum eſt hiſtoriarum, Andream Matthæum reſtitiſſe omnibus, qui adverſas fortaſſe partes amplecti

65 Jovius memorat Andream Matthæum cor mille peditibus, & quingentis equitibus præfectum pro Aragonenſibus belligeraſſe.

66 Franciſcus Guicciardinus in hiſt. Italiæ lib. 5. circa annum 1496.

67 Idem Guicciardinus lib. 5. & Ammiratus cum aliis.

68 Paulus Jovius Elog. Doct. Viror. & apud Moreri in Dictionario Hiſt. Crit. in famil. Aquav.

cti meditarentur; palamque in publicis Regni comitiis pronunciasse, nihil ineptius, nihil imprudentius, nihil a ratione alienum magis, ac fide, nihilque reipublicæ magis adversum, quam alii, præter Carolum, subjici. Tantique factum ejus consilium, ut in quiete omnia, ac tranquillitate peracta fuerint (69). Magno quoque factæ ejusdem lucubrationes, *Encyclopædia* maxime omni ævo celebrata (70). *Deiparam* quoque *Virginem novam salutandi methodum* concinnavit, suisque hac Epistola direxit Princeps æque religiosissimus: *Hæc a sacris literis excerpta, Parentes optimi, quæ Pontifex Summus suffragia indulsit Deo O. M. dicamus. Nihil enim expiationis hoc pretiosius habui, quod offerrem, quodque magis e re vestra esset, si vos tum his egetis. Nam tu Juli pater imprimis, qui tam strenue, ac fortiter cum Turcis dimicans pro Christi Religione occubuisti, his fortasse adminiculis non indiges; nec tu bene morata, ac pudica Mater, sed neque etiam vos dilectæ Conjuges, quæ vestris numquam satis laudatis moribus, Deo jam gratissimæ fuistis. Quo fit, ut omnes vos Christi sanguine, fide, & lavacro redemtos æternam æternitatem vivere non diffidamus. Si quid tum reliquum est non purgatæ contagionis, aut noxæ, en iccirco hæc piamenta collegimus, quæ singulis die-*

69 Egregioribus Principis Andreæ Matthæi facinoribus hoc adscripserunt Ammiratus, Zazzera, & Campanilius ibidem.

70 Hujus operis liber primus Neapoli anno 1526 prodiit, integer vero Helenopoli Germaniæ anno 1609. Hoc Nicolaus Toppus in Bibliotheca Neapolitana indicat sequenti titulo: *Andreæ Matthæi Aquavivi Principis omnibus belli, & pacis artibus excellentissimi, Adrianorum, Interamnatumque Ducis, illustrium, & exquisitissimarum disputationum libri quatuor, quibus omnes divina, & humana sapientia, præsertim animi moderatricis, Musicæ, atque Astrologiæ arcana in Plutarchi Chæronæi de virtute morali præceptionibus recondita, summo ingenii acumine retecta patefiunt, & figuris illustrantur*. Jovius etiam Elogiorum cap. 63. *Nemo ex his*, inquit, *qui illustribus orti familiis ætate nostra claruerunt Andrea Matthæo Aquavivo se luculentius optimis disciplinis exornavit*. Alexander ab Alexandro ipsi *Geniales dies*, ac Pontanus librum *de rebus cœlestibus*, ac *de magnanimitate* inscripsit apud Moreri in suo Diction.

diebus per centum ora Sacerdotum celebrata pro vobis Deo offerentur. Vos interea, quæ vestra in vestros semper pietas atque amor fuit, pro nobis invicem fundite Deo preces (71). Cum Isabella primum Piccolominea Aragonia Ducis Amalphitani filia, Pontificis Pii II. atque Ferdinandi Regis pronepte, secundo vero cum Catharina de Ratta junctus Caroli Aragonii ipsius Regis fratris olim fratria, ex hac *Casertæ* Comitatum, & *S. Agathæ*, *Ducatum Ebuli*, & *S. Angelum* cum aliis terris in familiam suam transtulit. Et nonagesimum supra septimum annum agens egregiis undique insignibus onustus e vita concessit (72).

Existimatione quoque non minus illuxerunt Belisarius Dux Neriti secundo loco genitus, ac Nicolaus Episcopus Cupersani, & Paula soror Bisiniani Principis germano Onorato Sanseverino nuptiis sociata. Porro Belisarius Dux I. Neritonensis Regi, uti pater suus Julius Antonius, acceptissimus; Ferdinandum II. ex Sicilia redeuntem armis fere suis, ac militibus stipendia sua merentibus Neapolim a seditiosorum studiis, armisque quassatam tute ingredi conatus fuit (73. Quapropter a Rege *Cupersano*, *Joja*, *Bitecto*, & *Casamaxima* donatus: iis vero postea Adriæ Duci fratri suo a Ferdinando Rege restitutis, *Neritum* excepit, ejusque Dux I. a Carolo V. Cæsare consalutatur (74). In celeberrimis pugnis ad Gerionulam, & Li-

---

71 Leo X. P. M. suo Brevi diei 5 Februarii Pontif. anno 6 centum annos Indulgentiarum, aliasque expiationes eis impartitus fuit, qui quotidie recitassent.

72 Jovius in Elog. *Per viginti quatuor annos*, inquit, *egit jucundo in otio vitam dicatam studiis, quum Neapolitanos proceres candore, innocentia, & liberalitate facile superaret. Fato functus est ad Cupersanum, quum Lotrechii Galli infelicibus armis Apulia quæreretur.*

73 Apud Ammiratum, Campanilium, & Zazzera loc. laud.

74 Sub primis annis Caroli V. Cæsaris, ut ex ejusdem Diplomate in Regia Camera existente.

Lirim dimicatis acriter de ſumma Regni inter Hiſpanos, Galloſque, non ſolum interfuit, ſed fortitudine ſua omnium tranſactorum præliorum fructum in eo die, atque hora pro Hiſpanis docuit conſiſtere (75). Cujus vero prima ætas dedita ſtudiis literarum fuit, iiſque artibus ad Rempublicam capeſſendam inſtruebatur, adulta quoque proſecutus plura & ſcripta, & typis edita poſterorum memoriæ commendavit (76). Romanis Pontificibus Leoni X. Hadriano VI. Clementi VII. & Paulo III. maxime probatus. Viros eruditos ex omni genere non fovit ſolum, verum etiam admirationi fuit. Ipſi Sannazarius, quocum Academiæ celeberrimæ Joviani Pontani nobile fuit ornamentum, inter eos Princeps non dedignatus connumerari, percelebre de Lauro ſcripſit Epigramma:

Illa Deum lætis olim geſtata triumphis,
Claraque Phœbææ laurus honore comæ,
Jam pridem male culta novos emittere ramos,
Jam pridem baccas edere deſierat.
Nunc lacrymis adjuta tuis revireſcit, & omne
Frondiferum ſpirans implet odore nemus.
Sed nec eam lacrymæ tantum juvere perennes,
Quantum manſuro carmine quod colitur.
Hoc debent, Aquivive, Duces Tibi, debet & ipſe
Phœbus: nam per Te laurea ſilva viret.

Gravina etiam Canonicus Eccleſiæ Neapolitanæ Poeta eru-

---

75 In bello Magni Ducis Columinei contra Ducem Nemoſinum ex Ammirato, & aliis.

76 Nempe *de Venationibus, de Aucupio, de Principum liberis educandis, de re militari, de ſingulari certamine, & de excellentia Chriſtianæ Religionis* Neapoli editis in folio 1519. De quibus loquitur Ammiratus, Jovius in Elogiis, Jacobus Wilhelmus IM-Hof in Exegeſi hiſt. & Moreri cum aliis in ſuo Diction.

eruditiſſimus omnia paucis verſibus complectens de tanto Duce cecinit.

Qui populis dare jura ſuis non deſtitit umquam,
Qui Patriæ toties profuit ore potens.
Nec minus æratas ductando in prælia turmas
Fortiter auſterus Martis obivit opus.
Palladis amplexus nomen veniente ſenecta
Ipſe docet quales convenit eſſe Duces.

Et quamquam ſecundo loco natus a Julio Antonio Principatum in domo ſua non obtineret, ſapientia tamen, induſtriaque ſua in Principum dignationem pervenit. Ipſum in domo ſua, traditum eſt a multis (77), Mediolani Duciſſam cum Bona gnata, Poloniæ poſtmodum Regina, Biſiniani Principem, alioſque Italiæ, Europæque Principes recepiſſe honoris illorum cauſa, & pro ſua dignitate quam honorificentiſſime, & quam liberaliſſime tractaſſe.

Cum Sueva Sanſeverina Hieronymi Principis Biſiniani ſorore conjunctus filios progenuit Johannem Berardinum II. Ducem Neriti, Jacobum Antonium Ducem feliciſſimum, Johannem Baptiſtam Epiſcopum Neritonenſem, Johannem Antonium Epiſcopum Aletii, Hadrianam nuptam Ferranti Caſtrioto Duci S. Petri in Galatina præclariſſimæ gentis, nepoti Scanderbegi Albaniæ Principis, ſuique ævi in Turcas Imperatoris ſtrenuiſſimi, Dianam nobiliſſimo Duci Caſtrovillari Ferranti Spinello nuptam, alteramque Paulo Caracciolo Marchioni Meſuracæ, & Antoniam Johannis Baptiſtæ de Marra uxorem.

Johannes Bernardinus II. Dux Neriti, cum Ca-

77 Ammiratus, & Zazzera expreſſe animadvertunt locis laud.

Carolo V. Cæſari Bononiæ inter Coronationis ſolemnia obviam factus eſſet, ſtatim eum juſſit caput tegi; tanta erat apud Cæſarem Ducis fama, atque exiſtimatio. Vix autem Carolus Neapolim ingreſſus Neritonenſem Ducem conquiſivit, ac familiariſſime ſecum habuit, quem ad bellum Hungaricum antea & ſocium, & ducem eximium fuerat expertus. Neritum denique ſe recepit, ubi improviſa in eas oras piratarum Turcicorum deſcenſione, & invaſione domus ſuæ oppreſſus, vixque ſpatium ex lecto, in quo recumbebat, ſe excutiendi nactus, dum ex ædibus per pontem in vicinam ſe recipere Turrim feſtinat, ponte rupto in ſolum delapſus, & exanimatus eſt (78).

Franciſcus filius ex Johanna Cajetana ortus, æmulari paternam gloriam aggreſſus militarem diſciplinam, & geſtis, & ſcriptis colluſtravit. Nihil ſibi optabilius accidere profitebatur aſſidue, quam cum Turcis manus conferre. Itaque Hydrunti, Barii, Tarenti, & Callipolis ſæpe cum eis conflictatus eſt, ſemperque fregit. In Oſtienſi bello cum Albæ Duce non ſolum ſtipendia meruit, ſed Ducis inſigne commendatiſſimum expreſſit. Filium nactus ex Iſabella Caſtriota Johannem Bernardinum II. Neriti Ducem IV. iis erudivit inſtitutis, quæ ad uſum Reipublicæ pertinent. Magno Princeps ingenii acumine, imprimiſque clarus, gloriari ſolebat, dum quies Italiæ inſideret, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima. Annam Loffredam nobilem Ferdinandi Trivici Marchionis filiam in uxorem duxit, eaque

78 Illuſtrioribus Italiæ Ducibus adnumerant Ammiratus, Campanilius, Zazzera, & Jacobus Wilhelmus IM-Hof.

79 Ammiratus, Campanilius, & Zazzera ibidem.

que abſque filiorum propagatione conceſſa, cum Catharina Toralda Pauli IV. Romani Pontificis nepte ſecundo junctus eſt, ſuſceptique filii Beliſarius II. Neriti Dux V. Franciſcus, Gaſpar, Vincentius, Hadriana, Iſabella, liberis omnino, poſteriſque caruerunt, quibus commune foveretur ſolatium, & memoria geſtorum Parentum ſuorum jucundius proderetur.

Itaque ad Andreæ Matthæi III. Adriæ Ducis VIII. filios revertentes, primogenitum videre eſt Johannem Franciſcum Marchionem *Bituntì*. Dorotheam Gonzagam Friderici Mantuæ Domini gnatam, neptemque Principis Altiliæ Friderici Regis ſoceri, ſibi jungens, dono inſigni per ea tempora pondo mille auri a Rege excepto, & ſuorum alacritatem excitavit, & opes familiæ ampliores reddidit. A Ferdinando vero Rege cum Pontifice Julio II. florentiſsimo exercitu in Gallos comparato Dux inter primos Bitunti Marchio electus eſt, & quum ad arma anno 1512 ventum eſſet, in Ravennati pugna cum Gallorum exercitus Duce Gaſtone Fuxenſi commiſſa, non prius deſtitit, quam inter mortuorum cadavera animam agentem Galli cœpiſſent(80). Priorique libertati vindicatum, in virtutis ſuæ honorem Rex Hiſpaniarum ipſum, nomenque ſuum benigniſsimis decretis adornavit.

Romanus quoque Pontifex Julius II. ſanxit, ut præter ſolitum duobus aliis tegumentis caput, acceptis vulneribus undique attritum, in Eccleſiis obvolveret; & ubi ipſe moraretur, omnis campanarum ſonitus interdiceretur (81).

Ger-

80 Guicciardinus lib. 10. hiſt. Ital.

81 Factam illi hanc poteſtatem teſtatur Ammiratus, & Zazzera a Romano Pontifice, pro quo certamen commiſerat Ravennæ, ne cerebrum antea vulneribus quaſſatum clamoribus, ac ſonitu quateretur.

Germanus ſuus Johannes Antonius *Jojæ* Comes, & Adriæ Dux IX. qui Iſabellam ampliſsimæ Spinellorum familiæ duxit, toto orbe Sapientiæ fama celebratiſsimus Romano præcipue Pontifici Clementi VII. mira familiaritate adſtrictus, ad quem literas ſæpe miſit, in quibus præclaro poemate ſuo Sannazarii opus *d. Partu Virginis* commendavit (82). Alii germani fratres, Johannes Baptiſta Dux diſertiſsimus, & Johannes Vincentius poſt Melphienſem Eccleſiam, & arcis S. Angeli præfecturam ſapienter adminiſtratam inter Purpuratos Patres cooptatus a Paulo III. (83) quo cum jura ſanguinis intercedebant ex Julia nepte Bertoldo Farneſio nupta, familiam ſuam apprime excoluerunt.

In Ducis Johannis Antonii ſinu, indulgentiaque educatus Johannes Heronymus I. Adriæ Dux X. per omnem nobilium artium cultum pueritiam, adoleſcentiamque tranſegit. De eo ſolemne habuit confiteri Alfonſus Cambi Eques ornatiſsimus, ac Scipio ipſe Ammiratus (84), quibuscum familiariter frequenter egit, quod de Scipione Africano Cato dicere ſolebat, ſolum ipſum noſſe omnia, cæteros alios velut umbras effugere. Studium philoſophiæ acrius, quam conceſſum Principi, pertractavit, retinuitque, quod eſt difficillimum ex ſapientia modum. Prima caſtrorum rudimenta in Italia didicit; nec licenter more juvenum, qui militiam in laſciviam vertunt, neque ſegniter ad voluptates, & commeatus titulum imperatoris,

 & in-

82. Recitat Poema Ciaeconius in Clemente VII. ac ſummis laudibus extollit.

83 Felix Cantelotius in Elencho. Aubery in vita, Panvinius, Ughellus, & Caraſinus in Catalogo Epiſc. Melphis.

84 Videſis Ammiratum, qui cum eo familiariſſime egit; ejuſque plura opera typis edita vidit, præſertim tertias quaſdam rimas juxta Ovidii faſtos, in quibus de cœleſtibus corporibus agit.

& inſcitiam retulit, ſed noſcere provinciam, noſci exercitui, diſcere a peritis, ſequi optimos, nihil oppetere ob jactationem, nihil ob formidinem recuſare, ſimulque anxius, & intentus agere. Non ſane alias exercitatior, magiſque commendatus, quam in bello fuit, quod contra Turcas in ſacro fœdere Dux Adventitiorum concordi omnium Europæ Principum ſententia cum Ducis exiſtimatione, tum ſuimet ſplendore ſanguinis electus, adminiſtravit. Quæ dum conſiliis, ductuque ipſius acta fuere, ſumma rerum, & reciperatæ provinciæ in ejus gloriam ceſſerunt (85).

Nec ſpem modo, ac votum, ſed ipſius quoque voti fiduciam, ac robur publica felicitas a fratrum, ac filiorum ſuorum inſtitutione ſumſit. Porro germani Andreas Matthæus IV. Archiepiſcopus Cuſentinus, Antonius *Caſamaximæ*, *Rutiliani*, & *S. Nicandri* dominus, Claudius primum in aula S. Pii V. Pontificia enutritus, poſtmodum in Societatis Jeſu Religione triginta novem annorum curſu Præſes Generalis, decus, & præſidium (86), ac Dorothea ſoror ſcientiarum omnium cultu celebrata, dederunt certe magnum inſtitutionis fructum, & ſicut vetuſtior ætas vidit, quid ultimum in animo foret pro virtute adipiſcenda, ita ipſi quid in ea jam adepta. Pari ambitione certarunt ab Antonio mox laudato geniti Marcus Antonius, ac Vincentia. Primus eadem animi contentione literas, atque arma per-

85 Ammiratus Scriptor coævus, Campanilius, & Zazzera ſummæ gloriæ tanti Ducis adſcribunt, quod cum Equites, Principeſque ex Europa cuncta ad ſacrum fœdus ſponte conveniſſent, in eo ſolum acriter diſſentiebant, quis eorum Dux foret, cui ſeſe ſubjicerent. Quod uſque adeo diſceptatum fuit, donec Adriæ Dux Johannes Hieronymus proponeretur, cujus imperio ſtatim omnes militiæ ſacramento ſeſe obſtrinxerunt.

86 Videndi ſunt Moreri in Diction. hiſt. Crit., & paſſim PP. Societatis, qui omni ævo tamquam Societatis columen habuerunt.

pertractabat. Secunda vero incredibili eruditione referta, linguarum græcæ, latinæque peritissima virilis maturitatis robur præ se tulit. Marchioni Bitecti e Caraphæorum præclarissima gente nupsit, quumque ipsa, uti Marcus Antonius prole penitus caruissent, bona omnia ad Josiam II. Adriæ Ducem pertinere decretum fuit (87).

Per idem tempus Johannis Hieronymi I. filii floruerunt. Et Albertus quidem Adriæ Dux XI. cum Beatrice Lanoja Sulmonensis Principis sorore matrimonio copulatus semitam longe stravit ceteris germanis suis virtutis, atque exemplorum. Hadrianus, secundo loco natus Cupersani, Neritique domum iterum restituit (88).

Johannes Antonius Venetorum Reipublicæ stipendiis adscitus Dux fuit gloriosissimus (89). Rodulphus Societatis Jesu lumen splendidissimum in Indiis Orientalibus anno 1583 Martyrii lauream adeptus est (90). Horatius militiam sectatus cum genitore, in memorabili pugna navali apud Echinadas Tribuni officio præsenti animo functus, ex ea pugna cum incolumis ex hostium manibus evasisset, monasticam ex voto apud Cistercienses vitam anno 1576 professus est, Ecclesiasticæque disciplinæ studio præstans, mox Calatiæ Ecclesiam administravit (91). Julium vero & Octavium Cardinales, & Romanæ Ecclesiæ, & totius orbis

fama

---

87 Jacobus IM-Hof loc. laud. & Zazzera ex Ammirato.

88 Idem IM-Hof.

89 In Corcyra obiit Venetorum exercitus ductor. Zazzera, & Campanilius.

90 Quem Beatorum albo adscribi curavit Eminentiss. Cardinalis Franciscus Aquavivus, sed fato correptus persequi non potuit, quod quamprimum a consanguineis suis perficiendum esse speramus. In Indiis Orientalibus die 5 Julii 1583 sagittis confossus obiit.

91 Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra Tom. 6. p. 581.

fama faſtis æternis conſignavit. Julium enim S. Pius V. a quo fuerat electus, virtutis & ſanctitatis rumore ſpectatiſſimum, dum animam ageret præſentem voluit, & ab eo in extremo agone corroborari (92. Octavius vero ſcientiarum, ac linguarum omnium publice lauream adeptus Peruſii, a Siſto V. Romano Pontifice Romam arceſſitur, variiſque magiſtratibus geſtis, Patrimonio Divi Petri, deinde Sacro Palatio præfectus fuit. Quaqua verſus frequentatus laudibus, a Gregorio XIV. Cardinalium Collegio adſcribi promeruit, & Campaniæ legatus tranſmitti. Mox Romam revocatus a Clemente VIII. nihil abſque eo decretum. Cum vero Gallia inteſtinis bellorum procellis quaſſaretur, legatus Avenionem deſignatur, ubi mira dexteritate publicas res, & Eccleſiaſticas complexus fuit. Romam reverſus ovans a Leone XI. Neapolitanus Archiepiſcopus renunciatur, eamque Eccleſiam omnibus liberalitatis, ingenii, ſapientiæque artibus locupletavit. Extincto Monaſterio S. Mariæ de Angelis a Paulo V. redditus omnes Cathedralis Eccleſiæ Capitulo addixit. Suppellectilem etiam xx. mille aureorum Monti Pietatis Neapolis legavit *. Quodque mirandum de eo fuit, in Comitiis Pontificiis, in quibus Innocentius IX. Clemens VIII. Leo XI. & Paulus V. creati ſunt, ea dexteritate ſe geſſit, ut ab ejus ductu omnes pendere tutum reputaverint (93).

Utque hæc ſecundo rumore per Italiam ferebantur, ita Johannis Franciſci filius Julius Antonius II. Co-

92 In laudem Julii Poema ſcripſit Johannes Baptiſta Amalthei Caracciolus in vita S. Pii V. Cabutius, & Cabrera. Ciacconius, & Victorellus in S. Pio V.

* In atrio Montis Pietatis Neapolis Effigies marmorea cum Epigraphe inſculpta de eo fuit.

93 Joſeph Caſtilionius carmen de eo edidit Andreas Victorellus in additione ad Ciacconium.

Comes Cuperſani promto ad honores capeſſendos aditu, patrui, patriſque ſui, non ſine dignitate, cultuque mores expreſſit. Ex Catharina Ratta avi ſui Andreæ Matthæi Adriæ Ducis VIII. uxore ſummis auctus eſt opibus. Iſta enim ex fraterna ſucceſſione, *Caſertæ, Aleſſani*, & *S. Agathæ* Comitiſſa aliorumque locorum domina facta univerſa bona ſua in Julium Antonium virum tranſtulit per donationem, & favore matrimonii, quod is cum Anna Gambacurta contraxit (94). Ad Gallos autem converſus, qui Duce Lauthrechio in regnum ſe effuderunt, licet feuda omnia fiſcus adrogaſſet ſibi poſt actum ab Hiſpanis triumphum, re tamen in Regis Conſilio exacte perpenſa, iterum vindicavit (95). Memoriæque proditum eſt, quod cum Dux glorioſiſſimus Aſcanius Columna ob poteſtatem ſibi a Rege factam, Adriæ Ducatum capere aggreſſus eſſet, vix auditum fuit ad Cellinum oppidum adventaſſe, mira animi præſentia mulieres ipſæ præſto exercitui fuerunt, ejecerunt, fugaruntque. Quod ingens ſane facinus grati animi memoria Andreas Matthæus, ſuique omnes perpetua vectigalium exemtione munerarunt (96). Julii Antonii germana ſoror iiſdem temporibus memoratur Iſabella Aquaviva S. Benedicti Cuperſani Ordinis Ciſtercienſis Abbatiſſa, ad quam anno 1569 5 Auguſti a S. Pio V. literæ datæ fuerunt, quibus perantiqua juriſdictio confirmabatur, quam Abbatiſſa mul-

94 Zazzera, & Campanilius hæc bona in Julium Antonium II. tranſiiſſe fatentur ex pactione habita cum Andrea Matthæo & Catharina Ratta uxore, dummodo ipſe Julius matrimonio copularetur cum nepte ſua Anna Gambacurta, cum dote XIV, mille aureorum;

95 Ex decreto authentico S.R.C. Neapolis 1529 probat Zazzera, & Campanilius loc. laud.

96 Facinus hoc tamquam ſingulare perpetua majorum traditione conſtare teſtantur mox laudati Zazzera, & Campanilius.

multis retro annis exercuerat in clericos omnes Terræ Castellanæ (97).

Julii Antonii filiorum natu major Johannes Franciscus II. quo tempore Galli Neapolim obsidione clauserant, cum eis arma conjunxit. Et initio quum tam prona omnia, quam postmodum adversa habuissent, paternam sectam, sed non æquam sortem sequi adactus, in Galliam, patria, avitisque bonis omnibus posthabitis, se contulit. Turmæ Cataphractorum ab Henrico II. Rege præfectus, & Eques Ordinis S. Michaelis creatus, Commendaque insigni, ac duobus Oppidis in Bria, ac Conterobor donatus fuit. Adhuc autem Regni rebus perturbatis Camillam Caracciolam inclyti Melphis Principis, Galliæque Marescalli filiam duxit. Auctusque est ibi filio, filiaque in subsidium simul, & solatium (98). Josias filius morte immatura, vix tredecim annos natus, præreptus, Gallicæ liberalitatis fructibus diu frui non potuit. Anna autem soror in gyneceo Reginæ Catharinæ Mediceæ educata Ludovico Dijaceto nobilissimæ stirpis Florentiæ, Galliæque quæsito Comitatu Castri Villani nupsit (99). Ex eo Scipio filius, clarique postea Principes de Amblise, Marchiones de Sy, & Comites de Bourlemont orti ad nostra usque fere tempora, quibus jam genus illud defecit, Aquavivo nomine, omnibusque insignibus primorum Galliæ Magnatum functi sunt (100).

Porro iisdem temporibus, in quibus Johannes Fran-

97 Præter Ciacconium in S. Pio V. scriptum quoque reliquit Lambertinus de Jure Patron. art. 5. quæst. 5. p. 1. lib. 2.

98 Zazzera, & Campanilius ibidem.

99 Jacobus Wilhelmus IM-Hof in Exegesi hist. laudata. Notatque Ammiratus, & Zazzera.

100 Cum aliis multis fuse omnia prosequitur Gamurrinus in hist. Genealog. Thusc. & Umbriæ tom. 3. p. 314.

Franciſcus in Neapolitano Regnō, & in Galliis verſabatur, germanus Balthaſar diſertus, & facile laborans, quod in patriis erat moribus, Hiſpanorum Regum cauſam non gravate, ſed gratuito defendens ſumma ope niſus eſt, ut Regibus ſuis Carolo V. Imperatori, & Philippo II. ejus gnato fidem ſtudiumque ſuum probaret. Itaque priori in bello Senenſi contra Gallos, poſteriori vero Oſtienſi Regis, Regnique fines fortiter tutatus eſt, ad Truentum contra Germanum ipſum frequenter acies inſtruxit, ne datam fidem frangeret. Unde beneficia, & patrocinia Regis ſui late patuerunt, *Bellantis*, *&* *Caſertæ* ditionem excepit, & ſuper iis Marchionis titulo auctus eſt (101). Mox filiis ſuis anno 1542 ex Hieronyma Cajetana Morconis Comitis gnata ſuſceptis de ampliando imperio plura, ac majora deſtinata fuerunt.

Major enim natu Julius Antonius III. celeberrimam Victoriam Lanojam Neapolitani pro-Regis neptem anno 1569. duxit, & in ejus gratiam Rex Philippus II. Caſertam Principatus dignatione mactavit (102). Germani vero, Franciſcus turmæ peditum bis mille Tribunus in Calabria conſtitutus contra Turcas, aſſidue ſe invictum a laboribus militiæ præſtitit, conſtanterque contra eos dimicavit, & Marcellus Archiepiſcopus Hydrunti ſacrorum diſciplinæ operam navavit admirabilem (103).

Nati ex Julio Antonio Andreas Matthæus IV. Caſertæ Princeps II. & Bellantis Marchio III. Balthaſar II. Regni Theſaurarius, Carolus, & Petrus, Duces

e præ-

101 Apud Zazzera, Ammiratum, & Campanilium, qui pro Hiſpaniæ Rege exercitum propriis ſumtibus comparaſſe tradunt.

102 Ex Regeſto Regiæ Cameræ circa annum 1569, quem utpote in tranquillitate Italiæ ortum decora omnia complexa fuerunt, ut adnotat Ammiratus.

103 Ughellus in Archiepiſ. Hydrunt.

præſentiſſimi, in eo ſtudio proferendæ domus elaborarunt quam maxime. Etenim Princeps Andreas Matthæus in Hiſpanias cum Comitiſſa Lemenſium aggreſſus iter, Principes omnes ſtupore corripuit ob inauditas plane opes, apparatuſque in Europa inviſos; ad eoſque ſpectandos frequentes ex Hiſpania cuncta Principis Aquavivi domum adibant (104). Maximis ſtipendiis (per ea potiſſimum tempora) aureorum quinque mille annuis a Rege Philippo donatus, in Flandriam exercitus tulit. Inde in Friſiam profectus, nulla ab ipſo virtutis gloria, nulla imperatoriæ artis magna exercitatio in eo bello abſuit. Nec multo poſt Timbergam ſe contulit, oppidumque munitiſſimum oppugnavit. Quumque in Belgio bellum ingens ab Imperatore Maximiliano gereretur, Grollam urbem in Gueldria, natura, arteque armatam mira dexteritate expugnandam tradidit. Pro quibus ab Imperatore Maximiliano II. humaniſſime complexus, cum Principiſſa Anna Polixena Preneſtain Comitiſſa de Furſtemberg Cæſaris ipſius agnata nuptias ſolemni pompa celebravit; & ab Archiducis Alberti Auſtriaci manibus, quo cum jura ſanguinis contraxerat, aurei Velleris inſigne accepit (105). Cum

104 Opes, ac magnificentiam Caſertæ Principis, miraculi loco adſcripſit Ammiratus ſcriptor coævus, & Zarrera.

105 Ut primum ex Germania cum Uxore reverſus eſt Andreas Matthæus ad ſummum ſplendoris evectus, binæ in eum lites illatæ fuere ſuper Caſertæ Principatum. Prima a Duce Ramirez tamquam Regis donatario, qui Caſertæ Principatum ob adrogationem a Fiſco factam obtinuerat dono. Altera vero intenta ab heredibus Annæ filiæ Johannis Franciſci II. in Gallia degentis, qui vi decreti abſolutionis Andreæ Matthæi ipſis deberi tamquam ex primogenito deſcendentibus propugnabant, tum etiam quia ex pactione inter Gallos, Hiſpanoſque ſancita, in integrum, ut cum aliis in Galliis, Hiſpaniæque regnis viciſſim verſantibus conventum fuerat, reſtitui quærebant. Omnem lapidem moverunt, liteſque in judicio fuerunt. Sed cum ex parte Principis Andreæ Matthæi oppoſitum fuiſſet, poſſediſſe Principatum ex dotalibus juribus Proavæ viduæ Julii Antonii II. in ſumma aureorum XIV. conſtitutis, nihil plane reliquum viſum fuit, quod hujuſmodi creditoribus, & heredibus ex Principatu prædicto detractum adjudicaretur. Totum liquet ex actis in S.R.C. Neapolis judicationis confectis, apud Zazzeram, & Campanilium.

Cum vero ſolam filiam Annam ex priori uxore Iſabella Caracciola ſuſcepiſſet, ditiſſima totius fere Italiæ hereditas proximis agnatis acceſſit. Caſertæ ſolummodo Principatus ex Annæ Filiæ dotalibus donis nobiliſſimo Franciſco Duci Sermonetæ nuptæ, in Cajetanam familiam tranſivit (106).

Interea non prætereundum ex Alberto, & Adriano filiis Johannis Hieronymi I. Domum Adriæ, & Cuperſani fuiſſe reſtitutam. Adriano enim Genitor annuente filio natu maximo Alberto Comitatum Cuperſani tranſcripſit. Fuiſſe fertur Adrianus vir ſtrenuus, & qui ob poteſtatem ſibi a Comite de Miranda pro-Rege Neapolis factam purgandæ ab innumeris latronibus univerſæ Aprutii Provinciæ, plura agmina peditum, equitumque in eos duxerit. Cujus conſtantia, ac fama ferox exercitus effectus, nihil virtuti ſuæ invium, penetrandos aditus, inveniendumque tandem illorum domicilium, ac receptaculum. Fuit atrox in ipſis adituum anguſtiis prælium, pulſi tandem hoſtes, fracti fuerunt, ac longius ejecti.

Ejus natus Julius Nucum Dux Neritique, ac Comes Cuperſani Catharinam Aquavivam Beliſarii II. filiam, & hæredem duxit, domumque Cuperſani pingui patrimonio excitavit. Ab eo ortus Johannes Hieronymus in bello Italico contra Gallos, & præcipue in obſidione, & expugnatione Plumbini, & Portus longi, cui una cum filio Thoma Equeſtri militiæ præfectus interfuit, impigre ac feliciter ſe geſſit. Eaque Cuperſani Domus, quæ conſecutis temporibus ſuorum claritate ad ſummum dignitatis culmen evecta

 eſt,

106 Apud Jacobum Wilhelmum IM-Hof.

est, modo clarissimi Cupersani Comitis Julii Antonii posthumi singularibus ubique Europæ Principum virorum artibus spectatissimi, adeo amplificata est nostris temporibus, ut haud immerito principem locum in Regno sibi asseruerit (*).

His itaque rerum omnium affluentibus copiis ditatus Princeps Albertus, longe conspicuus filiis suis evasit. Primogenitus Josias II. Adriæ Dux XII. & Interamniæ Princeps Margaritam Ruffam e Principibus Scyllæ ortam sibi junxit, & Josephum Germanum optimis artibus Reipublicæ eruditum Romam transmisit. Quod viri subactum judicium statim perspectum probatumque Romæ, Hispanicæ legationi designatum fuit (107); & ni immatura morte præreptus esset, processisset honoribus longius. Margarita soror nobilissimo, ditissimoque Magdaloni Duci Diomedi Carafæo nupsit, Dorothea altera inclyto Abellini Principi Camillo Carracciolo (108).

Vim autem illam, potentiamque principatus amplissimi Josia genitus Franciscus Adriæ Dux XIII. non ostentavit solum, verum etiam fovit, auxitque. Cum Anna Concubletta Arenæ Marchionis gnata nuptiis copulatus, primoribus Italiæ Principibus consanguinitate proxime conjunctus est (109).

Germanus vero Cardinalis Octavius Julii, & Octavii senioris Cardinalium nepos, post obitum Jose-

* Fusius prosequitur omnia circa inclytam Cupersani domum ab Hadriano excitatam sæpe laudatus Jacobus Wilhelmus IM-Hof usque ad hodiernum Comitem Julium Antonium belli potissimum artibus ad miraculum eruditissimum; & notat Zazzera, atque Campanilius in Hadriano, & Julio filio cum Catharina Aquaviva nepte matrimonio sociato.

107 Ciaccomius in Innocentio X. De Cardinali Octavio Aquav.

108 Zazzera, & Wilhelmus IM-Hof loc. laud.

109 Videsis Scipion. Ammiratum in familia Concubletta, sive Arena, Altimarum, & alios.

ſephi Archiepiſcopi Thebæi Romam venit Urbano VIII. P. M. Eccleſiam gubernante, cui ſtatim a cubiculo, ut aiunt, honorarius inſerviit. Mox ab Innocentio X. Aquarum Tribunali a ſecretis adſuit, & Signaturæ juſtitiæ judex. Patrimonio vero Divi Petri præfecto, partum ei rerum geſtarum gloria purpuratorum patrum inſigne Innocentius X. pronunciavit. Quum autem Legatus Apoſtolicus in Flaminiam profectus eſſet, Chriſtinam Suetiæ Reginam regio apparatu Alexandri VII. R. P. nomine in principatus Romani finibus excepit. Rumor eſt, quod maximi animi Princeps Urbem veterem contra Parmæ Ducem potentiſſimum tutatus fuerit, & ingreſſu prohibuerit. Conclavis quoque libertatem contra illos vindicavit ſæpius, qui etiam minis opprimere conabantur (110).

Franciſci natu major Joſias III. Adriæ Dux XIV. præſtantiſſimam Franciſcam Caracciolam Joſephi Principis Torellæ filiam uxorem duxit; cumque ob mortem Marchionis Arenæ vacuam factam hereditatem defuncti amitinus apprehenſurus in Calabriam profectus eſſet, fato ibi conceſſit, eamque gnato ſuo Johanni Hieronymo fruendam reliquit (111).

Itaque primigenus Johannes Hieronymus II. Adriæ Dux XV. & Interamniæ Princeps IX. poſt exercitas domi, militiæque res ampliſſimas Launoiam Ludoviſiam ſplendidiſſimis natalibus ortam ſibi junxit (112). Idque matrimonium ad majora nitenti decus ingens fuit, ac robur. Vixeruntque mira concordia per

110 Ciacconius in ejus vita ſub Innoc. X.

111 Diſerte animadvertit rerum Italicarum diligentiſſimus Scriptor Wilhelmus IM-Hof in ſua Exegeſi hiſt. Gentis Aquav.

112 Accurate in ſuis Tabulis Hiſt. Genealog. deſcribit IM-Hof, quæ totam familiam uſque ad Principem Dominicum præſentem Adriæ Ducem XVI. complectuntur.

per mutuam caritatem, & invicem ſe anteponendo. Immatura morte ſublata Principiſſa Ludoviſia ſecundo nupſit Eleonoræ Ceciliæ Spinellæ ex Vici nobiliſſimis Marchionibus, Ducibuſque de Aquaro, & Tarſiæ Principibus, ortique ab illa Dominicus Adriæ Dux XVI. & Interamniæ Princeps X. Trajanus, Rodulphus, Iſabella, aliique (113). Nec multopoſt Princeps Johannes Hieronymus bello providus, & fortis, cum Italia novis bellorum tumultibus, & poſt longam ſeculorum ſeriem repetitis afflicta eſſet, & ipſe Vicaria poteſtate per Italiam univerſam fungeretur, medios inter dimicantes exercitus in Hiſpanias tranſmigravit. Quumque infinitam prope bonorum jacturam paſſus eſſet, Hiſpaniarum Rex Philippus V. & honoribus, & annuis redditibus opulentiſſimis compenſavit.

De Franciſco Cardinale omnis ævi, omniſque memoriæ facile Principe differentibus, haud opus ingenio, ſed memoria, ac recordatione. Maximis provinciis per quinquaginta fere annos impoſitus non modo par negotiis, ſed ſupra ſemper fuit. Nova non ſunt, quæ in Hiſpaniis Legatus Eccleſiæ pro Apoſtolicæ Sedis amplitudine, quæque poſtea Romæ Hiſpani Regis nomine, pro illius, atque Regnorum dignitate æque contulerit. Seculi noſtri deliciæ, atque ornamentum, quem amorem in Patriam ſuam oſtenderit, ignotum non eſt, cui in extremis conſtitutus pretioſiores auri, argentique ſupellectiles legavit (114).

Do-

113 Quos complectitur eruditus IM Hof in ſuis tabul. Geneal. famil. Aquav. ibidem.

114 Ex ejus teſtamento publice evulgato, in quo præter alia pia legata candelabra argentea auro contecta, mireque elaborata Divi Januarii Eccleſiæ (vulgo dictæ il *Teſoro*) Neapolis, quem ubique veneratus fuerat, inſervienda perpetuo reliquit. De ejuſdem egregiis facinoribus, non rumor eſt ſolum Romæ, atque in Hiſpaniis, ſed traditione poſteris commendata, perpetuo omnium animis infixa memoria hærebit.

Dominicus autem Princeps, & Rodulphus hisce parentibus eruditi, quum in Hispaniis magnifice versati sint, petitione tamen honorum abstinuerunt per ambitionem præposteram. Breviusque iter crediderunt amplificandæ avitæ claritudinis militiæ nomen dedisse. Utque nonnullos favor solummodo, aut nobilitas, ita hosce dexteritas, labores, assiduitas, gestæque res eximiæ ad famam protulerunt. Quæ proinde in Hispaniis, in Italia, in Sardinia, in Sicilia, & in Africa factitarunt, quæ adgnationis jura cum Principis Pii Cataloniæ pro-Regis filia Princeps Dominicus junctus splendidissima contraxit, quæ munera obivit, quos honores bello, ac domi elicuit, quæve Romæ, & in Romano Principatu Tajanus Princeps & ipse amplissimus, quem numquam satis vi, majestate, atque auctoritate expressimus, uti uberiorem historicæ dissertationis molem sibi vindicant, sic, cum superis placeat, alias consulto aggrediemur.

Interea non omittendum decus ingens, quod Isabella germana præstantissimo Balneoli Duci, ac Forani Principi Philippo Strozio nupta familiæ suæ adjunxit. Stroziorum enim gentem a primis ipsis Florentinæ Reipublicæ cunabulis exploratum est, non Italiæ modo, sed Europæ totius fines non tantum castris, armisque tenuisse, quam fama, ac triumphis. In Gallia præsertim fide, atque auctoritate sua tot expeditionibus, tot præliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia, ac labore pene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, singulare nomen frequenter adepta est. Mirum autem, quod secundæ res lætitia, ac dominatione tantos Principes transversos trudere numquam

va-

valuerunt a recte intelligendo, atque consulendo. Principum amicitia, Regum quoque ubique Europæ inclaruerunt. Initio vero Principatus Florentini unus & alter Philippus præclare commune Majorum suorum desiderium expleverunt, quod nobilissimis Italiæ familiis consanguinitate copularentur. Junior enim cum Clarice Medicea, Galliarum Reginæ Catharinæ amita, sociatus matrimonio, Carolum V. Cæsarem domus suæ Florentiæ, tamquam unius orbis Terræ miraculi, atque immensarum opum spectatorem, & laudatorem habere promeruit. Ex eo ortus Petrus unus ex quatuor Galliarum Marescallis ab Henrico II. Rege creatus, & Leo nepos ad Solimanum II. legatus primum profectus est, postmodum paternis sumtibus in eum classem tulit. Secutæ sunt aliæ conjunctiones cum Sabelliis, Frangipanis Tulfæ, Fliscis, & iterum ac sæpius cum nobilissimis Corsinis (115).

Quamquam igitur omnis virtus homines ad se allicit, facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur, nihil est tamen amabilius, nec copulatius, quam cum morum similitudine sanguinis ipsa conjunctio. Cum itaque Aquavivum genus omnes omnium claritates semper complexum sit, ultimus quasi cumulus ceteris splendoribus accessit, ut inclytæ Strozziorum familiæ copulatum, cum gloriosissima quoque, clarissimaque Corsinorum gente, cujus auspiciis universalis modo Ecclesia, CLEMENTE XII. incredibili felicitate regnante administratur, aliqua adfinitate conjungeretur.

ORA-

115 Videtis Eugenium Gamurrinum in hist. Genealogica Hetruriæ, atque uberius animadvertere est omnia authenticis Scripturis firmata in celeberrima Bibliotheca Stroziana Florentiæ.



ORATIO PANEGYRICA.



ENERI hominum illud profectò eſt prope natura datum, uti qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui ſunt ejus ſtirpis, quod ſermo hominum ad memoriam patrum ſuorum virtute celebratur, cupidiſſime perſequantur. Quibus hi rudimentis, ac veluti præceptis inſtructi, quamvìs parentes quandoque ſuos numquam viderint, tamen & natura ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus excitati, in paternæ gloriæ ſimilitudinem deducuntur. Multa geſſerunt poſtmodum præclara, multa contraxerunt, magnas partes

habuerunt negotiorum publicorum, frequentissime crediti sibi populi fuere, in pluribus Provinciis eorum versatum est imperium. Quid plura? cum magnitudine animi; & sapientia vitam parentum, ac majorum suorum & consuetudine expresserunt. Non ita tamen longius processisse usu, experientiaque veterum ac recentiorum temporum compertum est, quin maximis supervenientibus quandoque causis, quod cum spe magna fuerat aggressum, id non exequi usque ad extremum valuerint. Licet enim delectaverit amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita; Sollicitudo tamen aliqua, aut major quidam metus ab incepto cursu revocavit. Quo enim illa omnia nunc abierunt? ubi cœlo certantia opera defluxerunt? Quid in omni retro fere Principum progenie? duo, tres in una domo, & vix fuerunt: in prima ipsa Julii nec ultra sextum etiam adoptio prorogavit. Claudiorum etiam inclyta progenies vix Imperii majestatem delibare, aut attingere potuit. Quandoquidem in unaquaque Republica infinita prope est multitudo eorum, qui aut propter metum pœnæ delictorum suorum conscii novos motus conversionesque Reipublicæ quærant, aut qui propter insitum quemdam animi furorem discordiis civium, aut seditione pascan-

tur,

tur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam suo deflagrare. Qui cum auctores sunt, & duces suorum studiorum, vitiorumque nacti, in Republica fluctus excitantur, ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriæ depoposcerunt, enitendumque omni scientia, ac diligentia, ut conservatis iis, quæ fundamenta ac membra Reipublicæ jure merito nuncupantur, tenere cursum possint, & capere tranquillitatis illum portum, & dignitatis. Hinc propterea, qui ita se gerebant, ut cogitationes suæ, ac facinora optimo cuique probarentur, Optimates vocabantur. Ex eorum autem genere clarissimo, qui præ ceteris voluntati, commodis, fideique Reipublicæ sibi creditæ deservire visi sunt, ipsi profecto Optimates clarissimi, Principesque Reipublicæ haberi recte meruerunt; quos omnia Reipublicæ causa perferre paratos neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit umquam de suo cursu aut spe, aut metu dimovere. Offenderunt quandoque apud graves ceteroqui viros, sed populi rectis judiciis, atque commendatissimorum Principum omni significatione floruerunt. Hanc viam etsi aut asperam, aut arduam, aut plenam esse periculorum & insidiarum non inficiar, cum majoribus præsidiis oppugnetur Respublica, quam defendatur, attamen hæc via est, hæc ratio Reipublicæ ca-

pessendæ, imperiique, ac gloriæ aucupandæ. Quæ porro auctoritas in felicissimis potissimum Romanæ Reipublicæ luminibus tanta fuit, ut his tantummodo in theatro plauderetur, hi suffragiis, quod contenderent, consequerentur, horum nomen, orationem, vultum, incessum omnes venerarentur.

Dum hæc memoria repeterem nullum majus exemplum, aut luculentius afferri posse existimavi, quam illud, quod non recentibus modo, sed vetustissimis etiam temporibus Gens AQUAVIVA monumentis æternis consignavit. Cum enim gens hæc immortalis, cujus memoria digna omnis imperii gloria semper fuit, octingentis potissimum ab hinc annis in Italia non unius modo Principis sui consiliis, auctoritate, & magnificentia constituta, sed perpetua majorum suorum virtute, ac sapientia illustrata decus & honorem suis omnibus, utilitatem Reipublicæ sibi commissæ incredibilem, incrementum virtutis, bonorum desiderio voluptatem prope divinam attulisset, una profecto visa est principem sibi locum inter clarissimos non Regni Neapolitani modo, sed totius orbis Optimates vindicasse.

Quod igitur nullo umquam tempore in Europa laudationis, atque admirationis genus prætermissum est, quibus ego modo viribus exequar? tanto profecto securius, quod neque si rem laude di-

dignissimam verbis exornavero, nimius in depraedicanda illa videri possim, neque si magnitudine illius vincar; metuendum certe habeam, ne quid ex hujusmodi meritissima commendatione ingenii culpa detrivisse existimer. Sed satis pro virili mea factum arbitratus sum, immensum opus laudabili consilio aggressum perficere; cum ita de summis Principibus usu comparatum sit, ut qui tantum res maximas recensuerit, satis abunde laudasse videatur. Quis enim singula pro merito prosequatur? Rem ne ipsam? at illam ut incomparabilem virtute, prudentia singularem, instituto honestissimam, eventibus gloriosissimam judicamus, ita dicendi copia prorsus imparem. An Principes ipsos singillatim? qui cum fuerint praeclare de Regibus omnibus, Regnis, populis, privatisque hominibus meriti, & amplissima semper honorum insignia per fidem, & industriam consequuti, nihil ipsis dignius cogitari potest. Forsitan causas? an quod utilitatem Patriae ob oculos, quod favorem bonorum omnium in consilio habuit, quod de eximia, rectaque fama sibi, suisque relinquenda tantummodo studuit? quod parem ad magnificentiam suos non verbis & sermonibus, quod cuivis in promtu, sed quod rarissimum est, exemplorum studiis excitare voluit? Sint sane haec magna, quae revera magna sunt, ego autem illam in tantis opibus, tanta fortuna,

tuna, tanto ſanguinis ſplendore liberalitatem in ſuos, memoriamque Reipublicæ ceteris virtutibus omnibus antepono. Quam in novo genere bonitatem inuſitatam in claris, ac præpotentibus Principibus non modo aſpernari, ac refutare, ſed complecti etiam, & augere debemus. Et eo magis, quod videmus tantopere apud populos, Reges, atque Imperatores valuiſſe, ut nihil illi detrahi potuerit, quod non aut poſterorum memoria revocaverit, aut Hiſtoricorum omnium conſenſio reſtituerit. Quoniam autem tam uberrimæ gloriæ ſegeti ſinguli ex hac familia mirabiliter reſponderunt, de omni ejuſdem ſtatu, de genere virtutis, atque inſignium dicam, contendamque, ſi modo id aſſequi potuero, ut in hac confuſa vetuſtiſſimorum temporum caligine nihil a me, quod ad rerum potiſſimum publicarum ſplendorem pertinet, prætermiſſum eſſe videatur.

Primum itaque eos, quibus eſt antiquitatis aliqua notitia, meminiſſe velim, quibus olim modis nobilium gentium dignitas proferri conſueverit. Sunt qui profectum putant ex moribus quibuſdam Germanorum, ex quibus omnem nobilitatis fontem in Italiam potiſſimum derivaſſe autumant. Verum ejuſdem origo longe melius ab eo ritu repetatur, quo nobiles in Equitum, aut, ut olim loquebantur, in Militum ordinem cooptari mos fuit. Cujus equidem uſus cunabula

bula possem plane luculenter ex antiquissimorum temporum latebris eruere. Possem ostendere, quo pacto apud priscos Germanos (quo eodem nomine etiam Sviones, & Gothi censebantur) sapientissimo instituto arma sumere suo arbitrio liceret nemini, nisi prius civitas suffecturum probavisset. Tum in ipso consilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornabant. Ex quo facile licet conjicere apud gentes, quæ regnabantur, potestatem illam unius Regis fuisse, aut quibus ipse concessisset. Indeque mos processit, ut ætate adhuc Justiniani Cæsaris non esset apud Germanas gentes consuetudo, ut Regis cum Patre filius pranderet, nisi prius a Rege exterarum gentium arma suscepisset. Quod Audoinum Regem de Alboino filio respondisse historiæ testantur, profectumque mox Alboinum arma suscepisse a Rege Gepidarum Turisindo. Itaque nobilissimis quibusque Principes ipsi hunc honorem conferebant variis temporibus, & maxime inter coronationis solemnia, ut a Romanorum Imperatoribus frequentissime factitatum novimus; sive etiam pridie illius diei, quo prælium insigne committeretur. Consecutis autem temporibus, quibus principes potestatem equites creandi etiam in amicos contulerunt, infinitus prope eorum numerus pro armata, togataque postmodum militia auctus est. Sed non de
iis

iis ſermo nobis eſt in præſentia, aliiſque, qui fucato quodam nobilitatis ſplendore inter Equites adſcripti memorantur. Sed ea lux nobilitatis, ac ſplendoris unicuique AQUAVIVAM gentem vel longiſſime intuenti oboritur, ut impoſſibile prorſus ejuſdem principia inveniri agnoſcatur.

Priſcis enim æque, ac prorſus immemorabilibus Neapolitanæ Reipublicæ temporibus AQUAVIVA gens honorum inſignibus onuſta memoratur, perpetuaque Majorum ſuorum ſerie, Feudorum dignitate præſtantem, ab antiquiſſima Aquavivi Oppidi dominatione, quo nullum majus principium in Italia jactari poteſt, egregium nomen traxiſſe eruditi omnes ſuſpicantur. Quoniam autem in graviſſimis illis temporibus, atque in ruinis everſæ, ac penitus effuſæ Italiæ verſamur, quonam pacto aggrediar ad illa maxima, atque ampliſſima, quibuſve initiis ſeſe protulerit, penitus ignoro. Ob fædam enim illam ex barbarorum excurſionibus auctam Italicarum gentium calamitatem ſtudiis ubique militaribus, uti liberalibus ipſis diſciplînis apud pleroſque obſoletis, cum undique tantarum belluarum impetu, atque exercitibus labefactaretur, hominibus etiam & ſummis ducibus partim ætate, partim diſcordiis, partim horrore inuſitato conſumtis, ſolam fere AQUAVIVAM gentem in dubia illa Italiæ tempora reſervatam, diuturnoque ſtudio laudis, fidei,

ac

ac virtutis inflammatam & Reges ipſi, & populi animadverterunt. Cum tot certamina aut ab aliis neceſſario ſuſciperentur, aut ſubita florentiſſimarum Urbium everſione incendia orirentur, genus iſtud ad labores minime impigrum, imo ad pericula ſubeunda pro ſuis fortiſſimum, ad uſum, ac diſciplinam militarem peritiſſimum, ad conſilia ceteroqui prudentiſſimum, incredibile dictu eſt, quot exercitus fuderit, quot Civitates immaniter obſeſſas ac populatas in libertatem vindicaverit, gentemque crudeliſſimam extremo exitio tradiderit. Ut primum igitur AQUAVIVUM nomen in Italia X. Eccleſiæ ſeculo intellectum eſt, Comiteſque AQUAVIVÆ SANCIUS, TORTUARIUS, & ODDO ſpectati ſunt, non multo poſt in celeberrimo RAINALDO animadvertimus veſtigia priſca ſplendoris non preſſa leviter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam totius Italiæ ſempiternam. Verum hæc aliaque, quæ ANDREAS à Friderico Cæſare Regni Neapolitani moderator conſtitutus perfecit, ita prætereamus, ut tamen intuentes & reſpectantes relinquamus. Ad RICCARDUM I. quia ipſe ad ſe jandudum vocat & quodammodo abſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſuque veniamus. Is enim fuit, qui tanta gloria, tantaque virtute & ſuis imperavit, & Regum ſuorum ſplendoribus operam navavit, ut vix alius quiſpiam in Europa

tunc temporis inveniatur, qui majori feudorum multitudine gloriari potuerit. Minime vero dubitavit, quin difficillimis muneribus, & ex quorum administratione bonorum, malorumque publicorum haud exigua spes penderet, RICCARDUS præficeretur. Quamdiu enim Sicilia adversus hostes Caroli I. Regis defensa ab eo fuit, omnem formidabilis exercitus perniciem evitavit. Maximarum vero copiarum manus in Messanam potissimum eruperat, eamque fortissima obsidione clauserat. Clara itaque Civitas undequaque clausa præsidiis, circumdata operibus, machinis quatiebatur assiduis; eique ad vim inferendam quidquid vel indignatio roboris vel obsidionis ratio subministrare poterat, diligentissime admotum fuerat. Jam obsessorum multos fama, aut morbi consumserant, reliqui numerum magis, quam robur retinebant; quod laboribus adtriti, vigiliisque exhausti penitus ejecti. Adversus tot tantaque mala unus omnino constans RICCARDUS dux suorum, quos propriis stipendiis collegerat, imbecillitatem, metumque, animi sui firmitudine roboravit, hostesque tædio adfectos tandem obsidione repulit, regnumque ipsum fartum tectum Carolo Regi conservavit. Quod quidem Regi mirifice placuit, quumque ipse exteris in nationibus versaretur, consentientibus omnibus Regni suffragiis trium-

triumphorum decus decretum fuit. Neque minus valuit Germanus Frater RAINALDUS II. quem Langobardorum feveriffimis legibus addictum, cum pro falute Reipublicæ maxima gerere lubentiffime ftuderet, earum feveritatis judicii minime pænitebat.

Quo quidem politiffimo Parentum fuorum judicio non minutim, fed affatim confertimque ab omnibus haufto non mediocria acceflerunt honoris infignia CONRADO I. AQUAVIVO, qui poftea publico nomine, & poftquam Regni Neapolitani magna pars effe cæperat, graviffimis in negotiis frequentiffima habuit, expreffitque. A Roberto Rege egregiis novorum feudorum titulis decoratus, nec multo poft ftabulo Regio Præfectus, magnorum operum femper confcius, magnoque ingenio Princeps refrænandus potius à gloria, amputandaque plura fuerunt fuæ amplitudinis ftudio, quo mirum in modum æftuabat, quam inferenda.

Nullo autem illuftriore argumento multis ab hinc feculis patefactum effe putem, quanti fit vel ad communem utilitatem, vel gloriam in bono induftrioque Principe civiles artes omnes fplendefcere, quam quod AVERARDUS I. & CONRADUS Sancti Valentini Comites pofterorum memoriæ tradiderunt. Quid autem de CONRADO III. ac de BERARDO dicam, ut genus hoc ipfum

 cog-

cognoſcatur? Tempus enim eximitur non multitudine tantum factorum, quam amplitudine, ut meminerit omnes exiſtimaverintque rectius, quam ulla cujuſquam oratione poſſit explicari: Tot legationes, tot Provinciarum adminiſtrationes, tot aliæ profectiones, quarum pars hic multo maxima enumerari non poteſt, quid aliud ſignificarunt, quid aliud profecerunt, quam ut avitam ſuorum gloriam locupletarent? Magnificentiam autem GUALTERII, qua multitudinem prope infinitam bonorum in Italia univerſa adminiſtravit, hic ego quomodo prædicem? quam ille quidem cum non in propriam modo, ſed ſubditorum quoque ſuorum utilitatem conderet, quid vicinorum ipſa conjunctio redoleret? Quid cunctorum hominum fama loqueretur? Hæc vero non loquuntur ſolum, verum etiam perſonant, quod illius comitate, prudentia, ac dexteritate frequentiſſima ubique celebritate, atque clariſſima luce lætati fuerunt.

Quod ſi cetera omnia abeſſent, quæ incredibilem quandam AQAVIVÆ gentis claritatem oſtenderent, augerentque, ſatis probata omnium judicio videri poſſet; quod cum tantam feudorum, ac ſubditorum multitudinem jactarent, & memorati Principes, & MATTHEUS I. ejuſque filius FRANCISCUS viri ornatiſſimi, iis quidem non tantum imperio, quam, quod inter homines ſummum

mum est vinculum, fidei religione tenerentur. Eo enim imperio nusquam abusi sunt, quo majora insignia, aut bona extorquerent, aut iis tamquam piscatorum, aut aucupum escis cetera omnia obtruderent, quam Patriæ, suorunmque commoda animo agitarent. Sed illo universitatis vinculo, justitiæ fundamento ac consorte, sine qua nulla res Rempublicam continet, sese Patriæ adstrictos devoverunt. Hinc porro licet durissimis temporibus suis quandoque clades, fames, vastitas ob oculos versarentur omnium, hæc potius subire, quam fidem exuere maluerunt. Non te jam ciebo Sagunte fidei erga Romanos magnum, sed triste documentum. Non vos nominatim referam Italiæ fidissimi populi; qui parem ob causam ejusdem Annibalis, postquam ad summum spei fortuna, ferociaque provecti, fraudes, minas, constantissima fide substinuistis. Comitatæ olim profugos liberos Matres, suos maritos in exilia conjuges, propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides. Sæpe exscindi urbes suas, seque cum conjugibus, ac liberis, aris, focisque cremari pertulerunt, nullo alio precio exitus, quam fide data. Propriora nobis exempla, imo luculentiora non solum ii mox laudati, sed MATTHEUS alter LUDOVICUS, ac NICOLAUS AQUAVIVI suppeditabunt, nihil jam aliud, nisi fidem curantes

tes, cum ſubditos ſuos extra regnum conſtitutos ab Aſculanis Picænis quotidie expoliari, vexari, immaniterque turbari audiviſſent, non ſine magno dolore tulerunt; neque id omiſerunt, quo ſatis factum eſſet eorum malevolentiæ, atque crudelitati. Regem Carolum II. ad apertum bellum ipſis indicendum adegerunt. Numquid hoc mediocri virtute effici poteſt, ut tanti Principes, & in tanta fortuna ſuorum, tanta oppugnatione maximarum rerum tanti ducant & afflictos, præſertim & abſentes, ut vel oblivіſci ſuorum non poſſint, vel ſi meminerint, jure gentium ipſis opem ferre teneri ſeſe noverint?

Verum enim vero ſicut hæ, aliæque virtutes amabiles omnibus gratæque probabantur, ita cum aliis conſociatæ, junctæque non modo delectarunt, verum etiam admirationem expreſſerunt. Una, quam proferam adiciamque, exemplo erit Principibus exiſtimatio. Non enim parum refert, qualis quis ab omnibus exiſtimatur. Omnes enim niſi ita de præclariſſimo ANTONIO I. ſuæ tempeſtatis Adriæque Duce feliciſſimo opinati fuiſſent, ut & poſſe omnia utilia agere, ac meditari, nihil, aut certe parum ex laboribus ſuis, induſtriaque ſuſcepiſſet. Sic ab eo multas pugnas feliciter pugnatas eſſe habemus, quod plurimum auctoritatis in Duce foret. Novit plane Demetrius Albornotii Ægidii Cardinalis Ro-
manæ

manæ Ecclesiæ Legati Nepos, quanti fuerit clarissimi Ducis contra Asculanos habita existimatio. Iterum ac sæpius, iterumque Galli testati sunt, quantum roboris Caroli II. copiis accesserit sua, quibus imperabat non minus auctoritate, quam Ducis eximii opinione. Hinc plane videor non eum dumtaxat fructum, quem à gratissimo Rege S. Flaviani comitatu, aliisque insignibus donatus excepit, sed eum sane amplissimum retulisse à militibus suis, quorum ante oculos magnæ imagines, Gentisque existimatio obvolvebatur. Quæ quidem opinio omnium animis penitus infixa LUDOVICUM II. Cupersani Comitem adeo comitata fuit, ut in turbulentissimis Regni temporibus à Maria Regina amplissimo imperio contra ferocissimum Andriæ Ducem transmissus suorum animos ad gloriam imitatus mirifice prosequutus fuerit. Hinc plane mutuus amor successit & imperantis, & subditorum. Quot bella, & quanta suscepisse arbitramini; quod cives sui, vel injuria affecti, quod à prædonibus spoliati, retenti, non ne bello prosequeretur, si opus esset? si minus injuriam inultam, impunitamque minime dimitteret. Si qua proxima civitas, si qua natio exterarum gentium fecisset aliquid in civem suum, nonne publice vindicaret? Tamquam enim majestate Romana stante olim Romanæ Reipublicæ imperio recolebatur nomen AQUA-

VI-

VIVUM, consternationemque ore, vultu, ac nomine ipso simulabat; abire alias in terras jubebantur, recusantes impellebantur. Potuisse autem hæc omnia per illa potissimum tempora ANDREAM MATTHÆUM I. Adriæ Ducem II. BONIFACII IX. ac Ladislai Regis consanguineum dubitari minime potest. Florebat opibus, auctoritate, Principum amicitia, studio populorum, rebus prosperrimis, quæ ferme ea sunt, quibus gentes maxime adjuvantur, publicaque suscepta patrocinia in multa licet rerum varietate facilius convalidantur. Quæ consecuta fuerunt eximiæ gentis suæ splendore, singula narrare supersedeo. Unum, quod ad institutam orationem apprime pertinet, præterire non possum. Qui rebus suis, insignibus, atque ornamentis abunde fruebatur, ex Italiæ finibus maximo locorum intervallo, temporibus infestissimis excitus à Ladislao Rege, Johannam ipsius Germanam invictissimo Austriæ Duci Gulielmo matrimonio sociendam ad Germaniam est comitatus. Quis conjectura dicam, non oratione complecti possit, quæ Dux ANDREAS tot regiones, tot regna peragrando nobilitatis, atque existimationis vestigia reliquerit. Quem enim invenerimus, qui aspernetur oculis rerum pulchritudinem, non odore, ut ita dicam, ullo, non tactu, non sapore capiatur? Auribus excludat omnem suavitatem? Quæ omnia cum ad ip-

ipſam animi conſtantiam referantur, difficilius profecto erit, tantum hominem reperiri, qui ſine caſu aliquo, aut prolapſione ac ipſa rerum jucundiſſimarum varietate eam ingredi virtutis & gloriæ viam poſſit, de qua non modo infirma ætas, ſed etiam corroborata ejicitur. Quamobrem multi & noſtra, & majorum noſtrorum tempeſtate ſummi homines clariſſimique fuerunt, quorum cum effrænæ cupidines deferbuiſſent, eximiæ poſtea virtutes extiterunt. At vero inter Principes & ſplendore, & ſanguine illuſtres unus plane excelluiſſe videtur ANDREAS MATTHÆUS, dicam enim confidentius, atque apertius. Vix autem in Patriam regreſſus, imperatorio munere Ladislai Regis exercitus functus fuit. Novitque Tarentum, qua nova belli gerendi ratione, quamquam ab hoſtibus aggreſſus eſſet, extemplo iis præſto fuit, extemplo quoque non modo certamen commiſit, ſed in ipſum diſcrimen aciemque deſcendit, ſuccenturiatos quoque abditoſque laceſſivit; nec prius deſtitit, quam hoſtes fuſos, fugatos, caſtris exutos, in flumen, ac mare proximum demerſos vidit.

Interea ſi oculos ad ANTONIUM II. Adriæ Ducem III. convertamus, nihil plane reliquum eſſe poteſt, quod ad dignitatem nominis ſui pertinere non poſſe videatur. Ut enim Ladislaus rebus regni compoſitis AQUAVIVI nominis opera, atque con-

filio,cum ad illud illustrandum grati animi memoria teneri sese animadverteret, ANTONIUM cum Maria uxoris suæ sorore matrimonio sociavit. Satis autem multa egregiæ familiæ, bonisque omnibus hæc esse debuerunt, non autem satis Regi ipsi visa sunt. Qui ad illam nuptiarum solemnitatem Neapoli plurimorum mensium spatio celebrandam,magnificentiam apparatus,comitatumque publica,regiaque pecunia supeditavit. Nonne hæc mira laus est, quæ non Poetarum dumtaxat carminibus,non annalium monumentis celebrata, sed prudentium quoque judicio expensa fuit? Audire adhuc videor, concursantes ubique per civitatem ordines omnes, publiceque festivis vocibus, non minus Regium nomen, quam AQUAVIVUM resonare. A cæteris vero fratribus suis PETRO BONIFACIO IV. ac JOSIA V. Adriæ Ducibus non minus aliquid amplitudinis patratum novimus, qui non uni Provinciæ addicti, sed omnibus porro, quotquot e Republica forent, ea sane præsetulerunt argumenta splendoris, ut laudatissimo cuique oratori negotium facessere videantur. Josias enim & navalibus expeditionibus pro Alfonso Aragonio Rege, & terrestribus contra publicæ tranquillatis perturbatores ad necem usque iterum, & sæpius evocatus, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque jacturis, non spe splendoris amplificandi labantem

tran-

tranquillitatem patriæ excepit, corruere non ſivit, fulſit, & ſubſtinuit re, memoriamque publicam reliquis virtutibus omnibus antepoſuit.

Qua quidem cura publicarum rerum, quæque Principem maxime decet, eruditus ANDREAS MATTHÆUS II. Adriæ Dux II. quæ ad honeſta nitentes egregiis adjumentis informare ſolet, poſt tot annorum curſus oſtendit, parum, aut verius omnino nihil cum tota ætate priſca eſſe contendendum de moribus, virtuteque hominum, ut antiquorum admirari ſapientiam deſinamus, dum ejuſdem labores, ac fortitudinem cogitamus. Neminem autem arbitror JULIO ANTONIO Adriæ Duce VII. aut auctoritate, aut dignitate feliciorem. Cum enim duo ſint, quorum ope mediocria regna creſcere, & confirmata contineri poſſint, arma nimirum, ac literæ, cum horum gloriam ſibi vindicaſſet Dux feliciſſimus, quibus ſoletiſſimi, fidiſſimique Duces, aut gubernare feliciter, aut ornare ſplendidiſſime Reſpublicas conſueverant, ſtudiorum etiam non pœnituit, ne ſpem ab omnibus conceptam deſtitueret, aut imperfectam gloriam relinqueret. Cæſar Auguſtus quum bello Mutinenſi contra Marcum Antonium acerrimum imperatorem caſtra haberet poſita, quotidie etiam declamare conſuevit. Habebat quoque ſecum aſſidue Dux Aquavivus latinorum, græcorumque longe præſtantiſſimos au-

ctores, & ex omni antiquitatis thesauro omnis ævi, omnis rei, omnisque fortunæ clarissima documenta hauriebat. Vidimus ne umquam constitui civitates, aut conservari magis, quam prudentia humanarum rerum nutrice, ac comite? In quæ si vel leviter oculos convertamus, fieri minime poterit, quin ex hoc tanto, tamque acerrimo bonarum artium propugnatore creditæ sibi gentes, populique fructus amplos, atque diuturnos perceperint. Hæc vel indicasse satis erunt, quæ autem, quantaque fuerunt, omnia committo Italicarum rerum monumentis, quæ eam ob causam sollicite conquirenda, diligentissimeque complectenda fore existimo. Forsitan infensam judicabimus patriam suam sibi fuisse, si una voce loqui posset, quæ sollicitudo non profecto diffidentiæ, sed amoris fuit? Videor plane hic videre tamquam in re præsenti plurimorum Principum ambitionem, luxum, civiles discordias, intemperiem, aliosque Reipublicæ morbos unius clarissimi Ducis sapientia, prudentiaque evulsos, dissipatos. Ingenii enim mira vis, & fortitudo mentis cum peritia, usuque rerum, & exercitatione judicii conjuncta nullum omnino dubitandi locum relinquebat, quod aut infirmis, aut collabentibus Reipublicæ præsidiis fortiora aggredi vel ingentes stimulos admoveret. His enim artibus maxime se putabat satisfactum iri-

men-

mentis suæ integritati, qua & Regis sui gloriam, & utilitatem patriæ provectam auctamque incredibili desiderio cupiebat. Itaque neque laboribus ullis, ut hæc tam eximia, tamque honesta consequeretur, neque sumtibus parcendum judicavit. De quibus haud est locus multa hic differere, quæ passim extant, ac conspiciuntur. Quis enim in historiis adeo hospes, & peregrinus inveniatur, ut ignoret, quantopere apud Ferdinandum Regem valuerit, cum quo post discordias acerrime inter sese versatas mutuum tandem pacis, ac concordiæ, quod nunquam alias in Europa visum est, fædus sancitum fuit. Rex autem non contentus fuit, constabilita fæderis pacta existimationi AQUAVIVÆ familiæ satis fore, in maximis quibuscumque negotiorum ponderibus consiliorum comitem adscivit. Quid plura? Proh hominum historicorumque fidem? Aquavivam gentem arctius sibi jungendam ratus Ferdinandus ipsi insigna, suisque omnibus Aragonensium Regum decora, eorumque nobilitati adjecit. Friderico quoque filio commisit, ut conjugium cum Burgundiæ Duce JULII ANTONII consiliis firmaret. Contra Senenses in bello cum armis Syxti Pontificis conjuncto, in expugnatione celeberrimi Castri Collis, imperatorium munus commisit. Interea Neapolitanum Regnum cum a potentissimis totius fere Orientis viribus quateretur, ac

Ter-



Turcarum potentia in Hydruntum extemplo irrupiſſet, vis illa, flammaque perturbati regni, penituſque quaſſati fere omnes ex eo ejecerat, ac timore majorum fluctuum, tempeſtatumque fugaverat. Hinc omnes certatim, aliuſque alio gravius Julii Antonii apud Regem virtutem eximie commendantes, ad eum ſtatim converſum eſt, atque ipſe non mediocri cupiditate arripuit imperium, quod non clamore multitudinis imperitæ, ſed publico conſilio deferebatur. Lux quædam viſa fuit cælitus oblata, qua non modo regnum, ſed Italia cuncta maximo timore levabatur. Abiit ille, ſed quæ tum frequentia acceſſit Ducis exiſtimatione ſuorum & exterorum ad vim illam, & audaciam barbarorum perfringendam, quæ expectatio populorum, qui concurſus legatorum ex Italia cuncta, quæ ſuorum major virtus, dexteritas proſpiciebatur. Quid autem ageret Princeps ad virtutem, ad dignitatem, ad gloriam natus? Nonne fuiſſet ad arma iturus? Nonne patrium animum, majorumque virtutem excitaturus? quid ſentire, quid cogitare, quid judicare poterat de eorum potentia proſternenda, quorum effrænatus ubique furor alebatur impunitate diuturna? Huic malorum colluvioni videbat ipſe, ſi aliter, quam potentiſſimis armis obviam iretur, ſpem parem ſalutis eſſe non poſſe. Quamobrem Hydruntum prope ſe cum exercitu con-

contulit, munitiones vel longe dissitas oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere, & terrere cæpit. Et jam monstrum illud tot in funeribus Christianæ Reipublicæ exultans, ac tripudians ad certamen ipsum lacessere nitebatur. Hostium autem viribus in dies magisque corroboratis, novis auxiliaribus copiis ex Thraciæ finibus transmissis, suis vero partim quotidianis necibus extinctis, partim timore exterritis, partim fuga sublatis, anne susceptam Provinciam Dux acerrimus, fidissimus relinqueret? an se domi contineret? Nihil profecto minus, & vinci turpe putavit, & deterreri iniquius, sed quid? Proh! Deus immortalis, etiam aliorum consilio eripi rejecit. Itaque collectis copiis, quas potuit, ubi occasionem nactus nonnullos aggredi, qui per agros vicinos prædæ colligendæ causa discurrebant, non sine consilio fusos per agros, ac dispersos in unum locum congregatos traduxit, atque partim necatos, partim in fugam conjectos eo usque insecutus, ut Hydrunti ipsius mœnia penetrare meditaretur. Inibi collectis omnibus hostium viribus clamore, vi, ac multitudine, non solum certamen commissum est, sed in ipsum discrimen, aciemque exercitus deducti: Christianorum arma primo impetu tantum habuerunt firmitatis, ac constantiæ, quantum per necem, aut vires retinere, aut eripere potuissent. Sed

jam

jam longa , acerrimaque oppugnatione robur Chriſtianorum oppreſſum , Imperator Julius Antonius medios inter hoſtes undequaque infeſtus , ac plus tringinta vulneribus acceptis , & voce , & ferro vel ſuos corroborabat exangues , vel hoſtes transfigebat , donec jam tandem jacentem , ſolum , ac mortuum ab incæpto certaminis curſu barbari retinuiſſent . Læti profecto hoſtes , quod eo Duce haud ſpernendo extincto non modo prælium , ſed bellum etiam ipſum abſumſiſſent. Porro in hoc tam acerbo Chriſtianæ Reipublicæ funere proſequendo pietatis potius , quam eloquentiæ , doloris , quam ingenii partes eſſe ſuſcipiendas exiſtimarem , tantumque pio dolori concedendum , quantum & mærori acerbiſſimo Rex ipſe Ferdinandus concedendum eſſe ſtatuit . Neque enim Rex debito officio alienum eſſe duxit , graviter conqueri de Ducis tam de ſe optime meriti infortunio ; neque iracundia , magis ulla laudanda , quam ea , quæ ipſum inflammavit eorum ſcelere , qui Regni ac ſalutis ſuæ defenſorem eripere auſi fuerant . O Superi quemnam oſtenditis exitum tantæ ſapientiæ , virtutiſque nobis ? quam ſpem Reipublicæ ? Quotus enim quiſque inveniatur tanta virtute vir , qui optimam quamque cauſam complectatur, qui publicis commodis deſerviat , qui ſolidam laudem , veramque quærat ? cum ſciret illud Chriſtianæ

Rei-

Reipublicæ fatum hausisse quotidie ex pacatissimis quibuscumque, atque opulentissimis gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre perturbatis, ut eorum veteres, illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profunderet; primum pacem maxima pecunia vendidisse, deinde, ut illi novam pecuniam conficere possent, vexandam ubique, & spoliandam tradidisse. Quonam pacto cum iis actum iri existimaret Princeps religiosissimus, quos sic illudere, ac debacchari ingemiscebat, quibusque omne supplicium, atque omnis jure optimo pœna debebatur, nulla alia prorsus ratione, quam corpore suo intercludendum eorum furorem judicavit. O inauditam plane animi, virtutisque indolem, o eximiam Aquavivæ gentis præstantiam!

An de BELISARIO Duce Neriti & NICOLAO, aliisque filiis suis parum excellentius judicandum est? At quid ego de ANDREA MATTHÆO III. Adriæque Duce VIII. loquar? Quem nulla umquam injuria, aut molestia adduxit, ut eum paternæ virtutis, ac firmitatis animi in suos fuisse pænituerit. Numquam enim in ea contentione fuit, ut popularis cupiditas à consilio Principum dissideret, nec flagitare rem ullam ausus fuit, quæ à Principibus suis dissentiret, sed ut otio suo, & dignitate optimi Principis, & uni-

versæ Reipublicæ delectaretur. In quo ego demiror nonullorum audaciam, qui nullum extremis Regni temporibus perfugium, & præsidium conferentes, objecerint ANDREÆ MATTHÆO Regis inimicitiam. Quid autem æqui, & honesti judices judicaverint eo in crimine, judicio clarissimo illorum pro virtute sua est honestissime liberatus, ut non modo in judicium horum criminum, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem fuerit vocatus. Et quia sic se rem habere intellexit, plane sibi persuasit, non moleste laturum, quod alii permulti pari operæ precio multiplicatos dolores, laboresque tolerare consueverunt. Sicque peractis omnibus, quæ pro ejusmodi existimatione requirebantur, potestatem, atque amplitudinem suam, suæque domus serenissimus Rex Ferdinandus aut novam instituit, aut vetustam privilegiis insignibus auxit, ut a fædo illo, ac probroso nomine, quo apud ipsum criminabantur nonnulli, absolveret, ac pulcherrimo, honestissimoque compensaret. Non semel, sed iterum ac sæpius imperatoria potestate contra Carolum VIII. Francorum Regem bellum administravit. Neque minoribus à Gallis ipsis, qui postmodum Regno potiti fuerant, honorum argumentis decoratus. Carolus autem V. Imperator potentissimus paribus studiis prosecutus fuit & Principem MATTHÆUM, & adgnatos suos. Inter

ter tot vero bellorum tumultus, quibus & Regnum Neapolitanum, & Italia universa conflagrabat, inter assiduos labores, atque ærumnas, nulla ipsi voluptas jucundior, nulla quies optatior esse potuit, quam quotidianæ in literarum, ac scientiarum studia commentationes. Non ipse magnificentissimas venationes, neque sumtuosissimas tragoedias, ne que gladiatorum editiones, non ludos alios suis studiis anteposuit, nedum alia quæcumque levia, ac ludicra in occasionem otii arripuit, ut dum ipsis vacare partem aliquam vitæ suæ abonarum honestarumque artium exercitiis avocatam nugaci, ac puerili oblectatione perire pateretur. Sunt jam posterorum memoriæ demandatæ quamplures inter innumeras fere ejusdem lucubrationes typis editæ, eruditionis, ac pietatis copia refertæ, de quibus ita cecinit Sannazarius Poeta egregius.

Cernis, ut exultet patriis Aquivivus in armis,
Duraque spumanti fræna relaxet equo?
Quis mites illum Permessi hausisse liquores
Credat, & imbelles excoluisse lyras?
Consurgunt niveæ fulgenti in casside cristæ,
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,
Qui Martem doctos cogit amare choros:
Hæc Ducis est virtus, non uni insistere palmæ,
Sed nomen factis quærere, & ingeniis.

 Eo-

Eo autem nomine, quo apud universos Europæ populos Aquavivum genus percrebuerat, memores filii sui JOANNES FRANCISCUS, JOHANNES ANTONIUS, & VINCENTIUS in pietate, honestis moribus, in liberalitate, prudentia, sapientiaque excolenda tam egregie versati sunt, & studio totius Italiæ, ac singulari vicinorum populorum voluntate ornati, ut ad eorum memoriam recolendam non modo sui, sed prope regiones ipsæ convenerint, aliquando etiam latius excitatæ, quam ipsius vicinitatis ratio, ac tempora postulabant. In primis igitur præcipua Italiæ ornamenta Principes obtestor, quorum esse neminem, cui JOANNES FRANCISCUS vel adgnatione, vel affinitate, vel amicitia obstrictus non fuerit, pro certo habemus. Dorotheæ enim Gonzagæ matrimonio sociatus, Altamuræ Principi, Friderico, ac Ferdinando Regibus adgnatione accessit. Vos igitur tanti principis exempla revocate, quibusnam virtutum gradibus ad ea tam honesta, amplissimaque conniteretur, non comes modo, sed dux etiam, atque auctor nobilissimi cujusque facinoris extiterit? Vos in memoriam restituite, quo ipse animi robore in celeberrima illa Ravennati pugna contra Gallos arma tulerit, ut semianimus inter mortuos repertus fuerit. Vos plane dicite Ecclesiæ Romanæ Pontifices, quibus honorum insignibus dignum reputastis? JOHANNES

au-

autem ANTONIUS quo ſane cogitationes ſuas omnes intendit, niſi ut liberas omnium voluntates rerum haberet? dum vitam ſuam pluribus,quam vellet, obſervari oculis arbitratus, non modo communi voluntate virtutis atque officiorum,ſed etiam quadam magis neceſſaria ratione præclare magnificeque vivendi ſe continebat.

VINCENTIUS vero Cardinalis ornatiſſimus iis ingenii fortunæque præſidiis munitus fuit, ut ipſi certis quibuſdam felicitatis pignoribus antecellenti veræ fidei ſum̃æque diligentiæ formandi univerſi ſeſe tradiderint. Et quoniam orbis terrarum univerſus maxime delectatus fuit ſapientia, diſciplinaque clariſſimarum mulierum DOROTHEÆ, JULIÆ, ac VINCENTIÆ, non longe ab inſtituti noſtri ratione abhorrebit, eas cum clariſſimis quibuſcumque hominibus ex tota antiquitate ſcientiarum omnium, ac linguarum peritia coæquare. Jam vero CLAUDIUM Aquavivum Societatis Jeſu Præſidem generalem, virum ſpectatiſſimum inſpiciamus, qui proxime ad veterum ſuorum diſciplinam videtur acceſſiſſe. Quum enim à teneris annis aulas inter Principum enutritus, moxque in Pontificia S. Pii V. exercitus, ac ſubactus eſſet, rebus omnibus ſtatim nuncio remiſſo,ſeſe ad meliorem frugem recepit. Et quamquam multus tunc temporis in omnibus ſcientiis eſſet, mira tamen ingenii dexterita-

ritate multas insuper, & honestas disciplinas, ipsamque adeo eloquentiam felicissime comprehendit. Quid opus recensere sigillatim, quam varias inter peregrinationes toto fere orbe susceptas vitam commendatissimam exhibuerit. Verum cum supremo Societatis Jesu imperio admotus pietatis impedimenta gravissima sæpe sentiret, nec illis demulceri sese, nec deterreri passus est, quo minus morem suum constantissime tueretur. O pietatis genus vel primis ipsis Ecclesiæ seculis prope inauditum! Quamquam alias quoque ardenter, & serio oraret, ad statas tamen horas universam familiam precum in commune fundendarum causa convocabat. Virum enim pientissimum, qui Deum cordate diligeret, pudere non poterat amorem illum confiteri, & ad eundem alios etiam, quotquot posset, monitis, exhortationibus, & præceptis, & quod unum efficacissimum ad omnia jubendi genus est, exemplo adducere. Perversus enim candor est, fædaque simplicitas manifesto fieri parum integrum, ne fingere probitatem videatur: Si enim simulare pietatem scelus est, quantum erit dissimulare nefas? Quo ipso non modo pietas, quæ fuit fortasse, interiit, sed aliorum etiam aut relligio offenditur, aut simplicitas decipitur, aut infirmitas prosternitur, aut perversitas confirmatur. Has inquam divinas artes dignas ceteroqui animo, ac pietate

sua

ſua reputabat, ſubtilitates otioſas, & exercitationes vitæ parum profuturas iis tranſmittebat, qui ſibi nihil eſſe, quod publicam ad utilitatem conferrent, faterentur. Fortaſſis exiguum hoc, & leve videri poſſit nonullis laudis encomium, qui magnos Principes nonniſi monſtroſa tantum titulorum congerie, ampulliſve laudari patant, ſed ſapientioribus facile perſuaderi poterit, magnum eſſe, quod dixi, atque ita eximium AQUAVIVÆ Gentis decus, virtutum omnium ſplendore ſcatens, ut nulla cujuſquam vera laudatione ſuperari poſſe videatur

Jam de exiſtimatione familiæ, quæ fuerit, vidimus, quod judicium de ſingulis ejuſdem honoribus extiterit, nemini dubium eſſe debet. Quod enim MARCUS ANTONIUS, qui omnium in ſe animorum, oculorumque contraxit, quæ domi, & bello geſſit, communis famæ, atque ſermonis commendationem ſibi facile compararunt? Venio nunc ad illud immortale tanti nominis ornamentum JULIUM ANTONIUM nimirum II. Cuperſani Comitem, qui familiam quantam, & quam variis temporum perturbationibus habuerit implicatam, haud ſatis dici poteſt. Cum enim ſæpe homines, qui virtute, & conſilio potentes perſpecto genere humanæ docilitatis, atque ingenii diſſipatos unum in locum congregarunt, eoſque ex feritate illa ad juſtitiam, ac manſuetudinem

tra-

traduxerunt. Ita inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem nihil tam interest, quam dexteritas, ac vis. Hæc ſapiunt fere omnes; Princeps autem JULIUS ANTONIUS & novit, & perfecit; altero uti voluit, ut dexteritas audaciam vinceret, altero uſus neceſſario eſt, ne dexteritas ab audacia vinceretur. eademque ratio fuit in neceſſitate defendendæ ſuæ ſalutis, atque dignitatis; præſidioque contra vim, & manum comparando.

Neque vero turbulentiſſimo illo tempore majus umquam viſum eſt. Neapolis enim à Gallorum armis potentiſſimis obſeſſa, & ubique armorum ſtrepitu Italia effuſa, ſapientius duxit JOANNES FRANCISCUS II. in varias Europæ regiones tranſire. Anne ullo tempore judicabimus audaciam hanc, an fiduciam interpretari? Ille quidem cum ſibi certo de ſtudiis ſuis promitteret, neque laboris, neque impenſarum rationem habendam eſſe cenſuit. Norat enim peregrinationum incommoda quantivis eſſent precii, quantumque ſibi privatim, aliiſque publice prodeſſent. Et quum ad tot res diverſiſſimas animo proſpiceret, reperiunda erat utilitas, quæ omnes ex æquo aut attingeret, aut complecteretur. Nam ceteræ quidem res ſuis plerumque anguſtis finibus continentur, rei autem publicæ cupiditas omnium pene & rerum, & hominum, & temporum

rum varietatem comprehendit ; admiratur divina , humanaque constituit , regna , civitates confirmat , felicibus ornamento est , malos pudore corripit , mores ad humanitatem transfert, nullam terrarum partem , nullam orbis ætatem contemnit , beneficiis omnes complectitur , & cunctarum prope gentium , populorumque commune bonum existimatur . Cur tam varie ? Quia labores ipsos peregrinatione susceptos,purioribus historiarum monumentis quasi quadam inter sese affinitate copulatos esse norat , ut illis ademtis , nihil hisce , in quibus magna esse possit utilitas , reliquum videretur. Animadvertit vir prudentissimus regias Hispanorum partes & numero propugnatorum , & industria impense florere , publicamque utilitatem in illis Reipublicæ nebulis ac turbinibus ab eis,qui ad satietatem respicerent, minime vindicari potuisse . Foris etiam hæc studia tutius promovenda censuit , quibus pro insigni eorum in rempublicam amore omnes excitare debere judicabat. Neque difficile fuit vel longe avellere velut e sinu , complexuque quamplures nebulonum perversas artes , quibus non tam privatis, quam publicis commodis consuleretur. Missos itaque faciamus JOSIAM II. ANNAMque filios in regia Henrici Galliarum Regis domo enutritos.Nec de BALTHASARRE ævi suiDuce invictissimo aliquod attingamus ; sed illos potius intuea-

E mur,

mur, qui majus quoddam genti suæ decus, atque ornatum addiderunt. Placet igitur primo JULIUM ANTONIUM III. in medium conferre, cujus divino prope consilio, & vi ipsa, ac magnitudine rerum gestarum factum putamus, ut eam imperii majestatem, quam armis receperat, sapientia quoque, ac splendore illustraret. Deinde quamvis silentio reticeamus MARCELLUM AQUAVIVUM Archiepiscopum Hydrunti virum selectissimum, minime tamen præterire potuero clarissimum FRANCISCUM II. cujus nutu, & arbitrio terra, mariaque regebantur. A Philippo enim II. Hispaniarum Rege maritimis oris à barbarorum excursionibus quotidie appetitis, exercitu præfectus dexteritate, atque armis Rempublicam recuperavit.

Quæ autem diligentia, dignitas, ac sapientia tot majores suos complexa est, ea pariter Principem ANDREAM MATTHÆUM IV. efformavit, ut non in exemplum paris industriæ, sed in seculorum omnium ostentationem editus esse videretur. Cupiditate enim orbem terrarum peragrandi accensus, peregrinator non minus circumspectus, quam studiosus, ac prudens fuit. Videbat nonnullos ita peregrinari, ut ad hæc tantummodo animum intenderent, quis situs regionis, & spatium foret, quæ fertilitas terrarum, & populorum, quæ munimenta civitatibus adversus hostes, aut in-

inteſtinos motus,quæ in bellum vires,aut quanta audacia, claſſis, an equitatus, an pedeſtris militia meliores uſus finxiſſet. Quin imo perſpicere ubique ſtuduit, mores populorum qui nam eſſent, quave illorum morbi vel negligentia creſcerent, vel diſſimulatione tegerentur, vel medicina demum longe evaderent, excederent. Quibus rebus bonorum morum firma conſuetudo inducta fuerit, quæ rerum publicarum artes, & differentiæ, quibus legibus nobiliſſimi quique populi publice, privatimque ſint uſi, qua induſtria bella propulſaverint, aut confecerint, quibus artibus pacem ſtabiliverint. Quamobrem tamqum ad communem cauſam hiſtorias advocabat, quæ ad ſingulorum locorum inveſtigationem admotæ palam faciebant, quonam Reges à Bruto expulſi, ſeditiones ſedatæ à Valeriis fuerint, ubi ſalutaria Patriæ conſilia ab Appio exhibita, quæ majeſtatem in principibus populi Scipioni, Lelio, Catoni tribuerunt: ubi pernicioſos, inteſtinos audaciſſimorum hominum conatus fregerunt; quibus denique artibus aut in Italia, aut in Galliis dignitatem, ſpem, ſalutem Romanæ Reipublicæ acerrimus vindex, patriæque parens Cicero reſtituerit. Celeberrimas quaſque urbium achademias perluſtravit diligenter, viroſque e re literaria optime meritos familiariter ſecum habere, abditaſque rerum notiones excipere ſata-

gebat. Sic Italiam universam, Galliam, Flandriam, Hispanias, atque Germaniam peragravit. Sicque ingentem illum oceanum transmittendum fore existimabat, qui olim immenso, atque insuperabili ambitu finire terras credebatur, & in novum illum, quem vocant, orbem, post audaciam Columbi, ac penitissimos maris ignoti sinus penetrandum novosque populos adhuc tentandos, penitusque perspiciendos, quorum nomen ne fama quidem, aut fando, ac ne cogitatione quidem ipsa accepisset. Quamobrem in Hispaniis a Rege Philippo benignissime exceptus ea se magnificentia prodidit, ut universos ordines, regnumque ipsum admiratione compleverit. Postmodum in Flandriam a Catholico Rege designatus, palam profecto fecit, ea virtutis rudimenta circumeundo concepta quantopere & suorum gloriæ, & regiis armis profecerint. Inde Frisiam profectus, vix cogitari potest, quam singularia prorsus constantiæ argumenta in expugnatione Timbergensi, & insigni auxilio Grollæ porrecto firmaverit omnium animis populorum. Demum fœdere inter armatos Reges sancito, nuptiis cum Maria Prenestain de Furstemberg junctus, Imperatoris ipsius affinitate decorari meruit.

Sed mihi ante oculos obversatur BELISARII I. Ducis Neriti dignitas, quæ ad se rapit, & alia omnia relinquere hortatur. Quapropter dicere pos-

possem, & quidem amplissime de genere vitæ, de natura, de moribus, de studio comparandæ salutis communis, de incredibili amore in bonos, honestosque viros. At quoniam ea tempestate, ac Neapolitani Regni ruinis præcipua publicæ administrationis munera suscepit, non aggrediar ad illa maxima, atque amplissima prius, quam docuero, quibus fundamentis hæ tantæ summis in rebus laudes excitatæ sint. Quum enim excelsa quæque, ac nobilia studia, quæ vix post eximium totius fere eruditionis usum veteres, recentesque philosophi senili jam ingenio, judicioque audebant attingere, ea Dux disertissimus adhuc adolescens tractare solemne habuerit, tam facile scilicet, ut non ab aliis excipere, quam ex se ipso parere videretur, quamquam belli simulacris multum operæ impenderet, nec non publicis negotiis implicatus, curis jam maximis adsuesceret, ingenii tamen admirabili fœcunditate tantum in studiis profecit, quantum in summo ocio pauci potuere. Eo proinde virtutis, ac sapientiæ robore confirmatus honoribus non tam uti voluit, quam dignus videri. Duobus itaque Ferdinando, ac Friderico Regibus sic probatus fuit, ut utrique eorum & carus maxime, & jucundus esset. Pluribus enim præliis pro eisdem felicissime decertatis, sapientissimequè administratis regnum & ab exteris, & domesticis hostibus liberavit. Non mi-

minus etiam apud Carolum V. Cæſarem valuit; qui majora ſibi, ſuæque familiæ ſplendoris inſignia decrevit.

Jam vero JOHANNIS BERNARDINI II. Ducis Neriti virtuti quæ poteſt par oratio inveniri? Quid eſt enim, quod quiſquam aut dignum illo, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? Quæ enim induſtria in agendo, quæ celeritas in conficiendo, quæ prudentia in providendo, aliæque imperatoriæ virtutes aut viſæ ſunt unquam, aut ſaltem auditæ, quæ in tanto Duce mirabiliter illuxerunt? Quod bellum enim a Gallis excitatum in Neapolitaño Regno adventu ſuo non ſolum imminutum fuit,ſed etiam penitus ſublatum, atque ſepultum? Mirum autem, atque incredibile prorſus dictu eſt, quod illæ res, quæ ceteros a bellorum incommodis remorari ſolent,illum minime retardarunt; non libido ad voluptates, non amænitas ad delectationem, non nobilitas feudorum ad cupiditates, non denique labor ipſe ad quietem, aut ab inſtituto curſu revocavit. Vix enim a Carolo V. Cæſare inter coronationis ſolemnia Bononiæ honorifice exceptus, Imperatorem ipſum ad Hungaricum bellum gerendum inſecutus fuit, pecunia ſua uſus in omnibus belli neceſſitatibus, corpus ſuum innumeris periculis objecit, atque cum Imperatorio exercitu iterum ac ſæpius in acie contra rebelles fuit, omnia

nia illorum arma contra se unum excitare paratus. Quæ quidem omnia a Cæsare in eam partem accepta sunt, ut & in Germania & Neapoli postmodum amplissimis honoribus affecerit.

Tanta vero spes usque adeo perspecta Reipublicæ bene gerendæ in celeberrimis Ducibus FRANCISCO, ac JOHANNE BERNARDINO II. AQUAVIVIS constituta fuit, ut horum virtuti solummodo committeretur. Noverat autem Franciscus Patris sui mortem a Turcis illatam, quotidiana ipsius regni vulnera videbat, quærimonias omnium audiebat, se pro salute omnium in tot, tantasque dimicationes, atque proligatarum belluarum quotidianos impetus objecit. Quum autem tanta virtute in omnibus Regni maritimis horis adfuisse videamus, quantum minime in aliis audivimus, quid est, quod de ratione, aut perficiendi felicitate amplius dicamus? Ex hoc autem eodem genere, quo Cupersani Comitum domus excitata est, Principes omni ævo celeberrimos extitisse novimus. Multa itaque prætereo consulto, sed ea omnes conjectura perspicient, quibus pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas.

Ubi nam virorum fortium tanta animi præsentia, qua Dux BELISARIUS II. JACOBUS, CLAUDIUS, OCTAVIUS, ADRIANUS, ac JULIUS Dux Nucum a Catholico Rege institutus, fortissi-

tiſſimi omnes, ſummique Principes plurimis in locis disjunctiſſimis, maximeque diverſis uno conſilio bella geſſerunt, ac triumpharunt? Et ut cæteros alios ad aliam temporum opportunitatem differamus, quis pro dignitate referat eximias plane JULII ANTONII Neriti Nucumque Ducis XI. & Cuperſani VII. Comitis. Hunc adire, præſentem videre tanta humanitate, tantaque ſapientia, ac virtute datum eſt nobis, ut beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſime commoretur.

Nunc veniam oportet ad clariſſimum omnis ævi, omniſque memoriæ JOHANNEM HIERONYMUM Adriæ Ducem X. cujus virtutem non ſolum noſtris, ſed pene omnium gentium literis, atque linguis celebratam, licet gentis ſuæ eſſe totam, & propriam fatemur, dignitatem tamen ſuam eidem reddidiſſe, ut quantum a cæteris omnibus exceperit, tantundem ipſe attulerit univerſis. Atque illud imprimis differendum ſeſe offert, Quod Neapolitani Regni ſalute ſummum in periculum, ac diſcrimen vocata a frequentibus Turcarum excurſionibus, illius nomine, non adventu impetus hoſtium repreſſos eſſe, ac retardatos intelligimus, eorumque ſalutem reſtitutam, qui tanto ſeſe duci commendaverant. Porro etiam ſummis Reipublicæ negotiis, quibus pro ejuſdem dignitate implicabatur, non levis acceſſit eruditionis copia, quæ materiam ſibi, atque illis

illis præberet, circa quæ versari; & imperium suum exercere luculentius potuisset. Et quamvis suopte ingenio satis molestus, ingratusque sit discendi labor improbus, in principibus vero multo propemodum molestissimus. Quamobrem asperitatibus omnibus rejectis, hanc quoque solemnem gentis suæ gloriam scientiarum claritate ceteris aliis adjecit.

Video hic nonnullos fortasse mirari hanc dicendi, extollendique licentiam, & quemdam veluti candorem meum requirere, qui velut ex insidiis alia omnia expectantes animos, nova quadam, ac inusitata virtute feriam. Qui enim fieri potest, ut Princeps hic Joannes Hieronymus tanto splendore illustris, quantus in Europa vix auditus est unquam, studiorum molestia delectari potuerit? Sed mirari omnino desinent, cum non aliam ob causam nova hæc, atque incredibilia videantur, quam quod natura scientiarum ab aulæ strepitu abhorrere soleat, aut Reipublicæ negotiis aversa sit. Ubi vero natura ipsa Principes viri ad studia recolenda efformati sunt, in eis plerumque, & sapientia non expectat annos, & scientiarum semina firmiores radices agunt, & velocius adolescunt. Sic plane non JOANNI HIERONYMO tantum, sed universæ quoque ejusdem familiæ usuvenisse intelligimus. Ut enim cum ingenii, animique cura politicæ quædam præce-

ptiones hauriuntur, ſic vel ad intelligenda, quæ in imperio bene conſtituto fieri oporteat, vel etiam pro ut cuique ſors erit, ad peragenda publica, domeſtica, externaque negotia erudiuntur. Quæ accurate propterea, cogitateque ſcripſit, ea ſic probari animadvertimus, ut ad cæterorum ſcriptorum laudem, non ſolum pervenerint, verum etiam ſuperaverint.

Quod autem votis omnibus jam dudum petierat, quod ſtudiis ſuis ac contentionibus maximopere promoverat, quod cauſam Reipublicæ, cauſam Italiæ ſui tantummodo ſuſcepiſſent, niſi alias eſſet patefactum, paulo certe glorioſius, quam voluiſſet, atque illuſtrius ſtrenuiſſimi Duces filii ſui JOANNES ANTONIUS, atque HORATIUS manifeſtarunt. Anne tunc quieſcerent, cunctarentur, timerent, cum præcipuas Italiæ oras a ſæviſſimis Turcarum copiis oppreſſas quandoque, atque occupatas viderent? Imo potius excipitur alacri, præſentique animo impetus crudelis barbarorum, retunditur ferro audacia, ut irrigatis ſanguine hoſtium agris, ac mare uberem triumphorum ſegetem ſuo nomini rediderint. Quid vero? Pro hominum fidem! Quid de virtute pietatis dicere aggrediar? fuit enim illa ſemper, & adhuc eſt in Aquaviva gente pro religione virtus, ac conſtantia adeo cognata, ut illius defenſioni cetera poſthabuerint, pro ea, quoties ita res tulerunt, non fortunas modo

do ſuas, verum etiam ſua capita, & in bello Duces invictiſſimi, & in agone religionis fortiſſimi Martyres haud cunctanter obtulerint. In tanta autem, tamque excelſa pietatis gloria prædicanda, quis plane referat ſingulos, qui ab ipſis religionis cunabulis pro chriſtiana fide propugnanda, Ethnicorum ferro libentiſſime ceciderunt? Unum porro RODULPHUM nimirum magnum fidei propugnaculum prætermittendum minime cenſeo. Qui in Indias Orientales profectus, poſt egregiam illam monumentis omnibus conſignatam, religionis chriſtianæ profeſſionem, ſeipſum vitamque ſuam Martyrii corona Deo Optimo Maximo conſecravit. Eas autem pietatis, ac virtutis majorum ſuorum imagines, non ſolum ad intuendum, ſed etiam ad imitandum ſibi propoſitas eſſe exiſtimantes ampliſſimi Cardinales Germani fratres JULIUS, atque OCTAVIUS AQUAVIVI, glorioſiſſimis ubique rebus geſtis Eccleſiæ faſtos compleverunt. Et ut ab Julio aggrediamur, tot exempla, tanta, ac tam nova virtutis profecto ſunt in eundem Principem, ut incredibilia videantur. Vix enim vigeſimum ætatis annum attingens a Sanctiſſimo Pontifice Pio V. cui a teneris annis Julii ſapientia, ac dexteritas proſpecta fuerat, ad magnum Hiſpaniarum Regem Philippum II. Legatus miſſus, ut Sacram Eccleſiæ juriſdictionem a Regiis Miniſtris Mediolani violatam vin-

dicaret, quid profecerit in ea nobilissima Legatione, ex eo potissimum hauriri potest, quod non dum vigesimum, & quartum annum completus inter Purpuratorum Patrum Collegium fuerit cooptatus. Quod si quantum animo, tantumdem etiam corporis viribus valuisset, eum sane fructum Romana Ecclesia excepisset, quem diligentia industriaque sua facile despoponderant.

Jam vero honos,dignitas,ac sapientia quamquam semper gratissima, optatissimaque Aquavivæ genti extitissent, dici tamen vix potest,quantum ab OCTAVIO Cardinali, non solum promota, sed totis viribus ubique fuerint restituta. Quid voluptatis in iis habuerit, quæ species universi orbis, quæ forma rectitudinis, quæ pulchritudo; ac dignitas christianæ Reipublicæ. Simul ac cæpit Romanæ Ecclesiæ negotia administrare, gentibusque sibi commissis imperare, nihil earum rerum sibi prius agendum judicavit,quam de optimo modo,& Principibus placendi,& suis gloriosissime justitiæ munera impertiendi. Is enim Princeps, qui non honestis modo,eruditissimisque disciplinis imbutus, ac linguarum potissimum exterarum lauream Perusii fuerat adeptus, sed optimis etiam quibuscumque juris publici rudimentis instructus Rempublicam bene gerendam didicerat, mirum profecto non est, si Patrimonii S. Petri legatus designatus, cum quandoque auxilia

Rei-

Reipublicæ labefactari, convellique videret, ferre opem Ecclesiæ, succurrere saluti, fortunisque communibus, implorare subditorum fidem, commoda denique sua posteriora salute publica ducere opus esse contenderet. Cumque eam Provinciam difficillimis Romanæ Ecclesiæ temporibus accepisset, non modo boni, ac fortis Ecclesiæ commilitonis esse sentiebat intercludere omnes novorum motuum vias, bonorum consensionem contra improborum furorem, & audaciam implorare, sed contra metum etiam eorum longissime providere. Qui igitur in Romana Aula gloriæ plausus, quæ dignitas, quæ amplitudo, dum Pontificio Palatio Præfectus constituitur? Quæ vero totius Campaniæ voluptas, quæ magnitudo, cum in ea Apostolici Legati dignitate regimen obivit. Ubi vero Romam arcessitum Clemens VIII. Congregationibus omnibus interesse voluit, quis in Urbem concursus causarum, quæ majestas judiciorum, quæ consultationes Romanæ Ecclesiæ admodum utiles. Quamobrem in Galliam, quæ sævissimis intestinorum motuum turbationibus quatiebatur, Apostolica Avenionensi Legatione transmissus, non est humano consilio cogitandum, quantum omnibus maximis pariter, ac infimis gratus, acceptusque fuerit integritate, comitate, promtissimoque, ad opem ferendam animo, sive quis auxilio, sive consilio

in-

indigeret. Quid de reliquis tanti Principis ornamentis? Imo vero totius orbis beneficiis? Quid vero ad dignitatem Patriæ ſuæ tuendam, quam virtutem, quæque geſta in illam Archiepiſcopus Neapolitanus deſignatus propagavit? Quæ gravitas in regimine, quæ copia facultatum in egenos erogata, qui cultus Sacrorum, quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritas, quæ non opinione tacita animorum omnium, ſed perſpicua admiratione declarari videbatur. Cum vero in comitiis Pontificiis ſæpe habitis ab ipſo, clariſſimi Eccleſiæ Principes voluerint religione videri potius, quam partium ſtudiis fidem eſſe conſtrictam, ipſe in ea religione, & Legum, & veritatis promovenda, qualis fuerit, & conſtans quædam traditio, & hiſtoricorum accurata memoria teſtatur. O nomen Aquavivæ gentis tam eximie celebratum, o Eccleſiaſtici imperii excellens dignitas in eo ſæpiſſime illuſtrata, o virtutum ſic longe, lateque diffuſa laus! ut ejus gloriæ domicilium communis Eccleſiaſtici imperii finibus minime terminetur.

Atque hæc quidem omnia majorum exempla ad ſummos honores & uſum maximarum rerum JOSIÆ II. Adriæ Duci XII. quo deinceps penitus occalluit, iter fuerunt, ut non alienæ virtutis commendatione irruperit, ſed ſua met dignitate, generiſque præſtantia adſcenderit.

Ec-

Ecquem vero novimus alium, qui vel in evolvendis parentum ſuorum conſiliis induſtriam, vel in ediſcendis felicitatem, eamque habere potuerit perficiendi dexteritatem, quam in maximis quibuſcumque difficultatibus Dux Adriæ XIII. FRANCISCUS II. palam omnibus manifeſtavit? Poſtquam autem totius Italiæ Hiſpaniæque gemitu JOSEPHI Aquavivi ad Philippum IV. Regem Apoſtolici Legati obitus exauditus fuit, optime conſultum rebus ſuis adventu Romam OCTAVII Germani Fratris Romana Eccleſia intellexit. Neque diu hæſitavit Pontifex Urbanus VIII. poſt conditum Eccleſiæ imperium facile Princeps, ſibi eum conſiliorum ſuorum participem adſciſcere. Cum vero non multo poſt ſub conſultiſſimo Pontifice Innocentio X. varios magiſtratus, ac judicia exercuiſſet, ſapientiſſime factum eſſe Duci Petri Patrimonio præfectum iri omnes judicarunt. Quo quidem in munere obeundo operam non mediocrem dedit, ut non ſolum Eccleſiæ imperium, majeſtaſque ſarta tecta conſervaretur, verum etiam, ut ejuſdem jura non minus e tenebris vetuſtatis, quam à luce quadam novæ libertatis oppreſſa vindicarentur. Non dicam jam an pietas major OCTAVII, an auctoritas, an virtus, an conſilium. Illam vero gravitatis, ſeveritatiſque perſonam non appetivit, ſed ab Eccleſia ſibi impoſitam ſubſtinuit; ſicut illius impe-

pe-

perii dignitas in summo quandoque periculo postulavit. Urbem Veterem appello, in quam moderator ipse in turbulentissimis Romani principatus tempestatibus transmissus, qua animi præsentia potentissimis Principibus aditum prohibuerit, vires disjecerit, minas omnes propulsaverit. Quod si tum, cum in electione Romani Pontificis convenit, illius constantiæ robur admiramur, quo sese libertatis perturbatoribus opposuerit, quæ vim, & severitatem illam desiderabant, tam vehemens fuit, quam cogebatur. Dum vero in Flaminia Apostolica Legatione fungeretur, satius duxit sapientissimus Pontifex Alexander VII. Cardinalem OCTAVIUM eligere, quo Regina Suetiæ Romam ex penitissimis septentrionis finibus tendens, Pontificis nomine magnificentissime exciperetur. Et quem plane non delectarunt magnifici apparatus, omnesque cultus Regia prorsus elegantia, & copia instructi? Illa vero rerum maximarum cum animi ampla quadam, splendidaque propositione agitatio, atque administratio, quæ non probatur in vulgus, tantopere placuit Reginæ, ut opinio illa, quæ per animos gentium exterarum de Italicorum populorum cultu pervaserat, magis magisque in eorum animis fuerit confirmata.

Et ut JOSIAM III. Adriæque Ducem XIV. reticeamus, Quod autem nomen in Europa clarius

rius fuit JOHANNE HIERONYMO XV. Adriæ Duce? cujus res geſtæ pares? De quo homine, tanta, ac tam præclara judicia factaſunt? An vero ullam uſquam eſſe oram putamus, quo non hujus Ducis fama pervaſerit? Cum Hiſpaniæ univerſæ Regis ipſius auctoritate unum ſibi ad comunem omnium ſalutem depopoſcerint, nonne hujus adventus, aut in Hiſpaniis, aut in Italia, aut in Africa ipſa inſolita inflammatos victoria exercitus continuit, & magnis copiis minitantes cæteris retardavit?

Quæ cum ita ſint, quis unquam dubitabit, quid virtute patria profecerit, totius gentis ſuæ lumen ſplendiſſimum Adriæ Dux XVI. Interamniæque Princeps X. DOMINICUS AQUAVIVA, qui tantum uſque adeo profecit, aut quam facile avitam majorum ſuorum gloriam amplificaturus ſit, qui ſolo ſuo nomine, ac rumore defenderit. numquid forte ignoravit iis exemplorum luminibus uti, ut voluptatibus tantum, otioque delectetur, ut diverſis aliunde rebus diſtinetur, ut unam gentem armis petat, de cæteris non cogitet? Imo cogitationes ſuas omnes ad bella omnia convertit. Eo Duce delectus habiti, multorumque bellorum victoriis nobiles milites adſcripti, bellicus undequaque apparatus ingens inſtructus. Et ne de mente ejus animoque dubitemus, jam tentavit Inſulas, jam in Sardiniam, ac Siciliam exercitus expoſuit, jam munitiones proximas cæpit, disje-

G cit

cit; jam præcipuis illic Urbibus imminebat, jam in aciem incredibili virtute descendit. Mox in Hispanias revocatus, in Mauritaniam transfretavit, Septamque gravissimo Maurorum exercitu oppugnatam tutatus est. Multas equidem maximorum Ducum virtutes magnas, incredibilesque cognovimus, castris locum capere, exercitum instruere, expugnare Urbes, aciem hostium profligare. Sed hujus Principis sunt majoribus quasi theatris propositæ, ac prosus singulares. Non dicam autem vim illam frigorum hyememque, quam nos vix Urbis tectis substinemus, excipere, illis ipsis diebus hostem persequi, tum, cum etiam feræ latibulis se tegant, atque omnia bella jure gentium conquiescant. sunt ea quidem maxima quis neget?Sed magnis excitata præmiis ad memoriam hominum sempiternam. Quo minus mirandum sit ea facere Duces eximios, qui imortalitatem concupiscunt. Verum talis in Rempublicam, Regemque suum labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, constantia pro periculis, aliaque innumera, cum præmia quidem non fuerint in ejus animo qui adeptus est, sed in ejus potius, qui Regia plane munificentia largitus, hæc profecto, non modo mirabilia sunt, sed prodigiis similia. Quamquam enim in summa fortunarum Princeps natus, relictis rebus suis omnibus in cunctis bellis verseretur, nullius la-

bo-

boris, nullius obſeſſionis, nullius prælii expertem fuiſſe, hæc ſunt omnia cum plena laudis, tum propria gentis Aquavivæ. Et ſi in cæteris bellorum Imperatoribus major fuerit ubertas, varietas, copia belligerandi, nulla tamen tam vehemens cauſa verſata eſt in aliis, ut tantum ipſe impertire ſtudio temporis potuerit, quantum ab adoleſcentia ipſa uſque ad hanc ætatem à continuis bellis, & victoriis nunquam conquieverit.

Hinc poſſumus recte conſtituere hanc auctoritoritatem gentis ſuæ multis poſtea clariſſimi Cardinalis Francisci Aquavivi rebus geſtis, magniſque facinoribus amplificatam, quantum apud Hiſpaniæ Regem, quantum apud exteras nationes valuiſſe opinemur. Itaque non ſum dicturus quantas ille res, quantaque felicitate geſſerit. Quid enim ego nunc prædicem, quod in hoc tam magnifico genere dicendi ſummis viris maxime applaudatur? Ex vobis Quirites potiſſimum quæro, quorum ante oculos eximia tanti Principis geſta, nunc quoque obverſantur. O nationes, Urbes, populi, Reges teſtes Aquavivi hujus Principis virtutis non ſolum in privatis, ſed publicis etiam religionis, fidei, pacis, bellique artibus; vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum vos maria, Nationeſque. Quæ eſt enim ora, quæ fides, qui locus, quæ natio tam immanis, & barbara, in quam non ſo-

lum penetraverint, verum etiam extent, hujus cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia? Hunc quisquam incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia præditum, cum vel Hispaniarum Regis negotia Romæ administraret, Ecclesiastica fortasse fædera neglexisse, violasse, rupisse dicere audebit? Et nonne potius mirabili quadam cognatione, & Sacerdotium cum Imperio devinxisse? quasi vero levius sit, cum in tanta Republica versaretur,& summis negotiis præesset facere aliquid, quod sciret non licere, aut omnino nescire quid liceat. Nemo profecto ne suspicari quidem ausus est, sed cum immatura mors in eo tantummodo extinxisset invidiam, res ejus gestæ adhuc sempiterni nominis gloria nituntur.

Cæteros autem pari dignitate ornatos, custodes, gubernatoresque Regnorum, quorum in universa Italia,longe maxima consilia,atque ingenia fuerunt, quomodo prædicemus? Quid de illis honestissimis Principibus, atque optimis Equitibus dicemus, qui una cum Regum suorum armis publicam tranquillitatem foverunt? Quid de cæterorum ordinum omnium summis præsidiis, qui pro Patriæ suæ incolumitate tum arma cæperunt, cum felicissime triumpharunt? Quid de Ecclesiasticæ Hierarchiæ omnis ordinis acerrimis pro-

pu-

pugnatoribus? magna hæc, quæ lubens, ſcienſque prætereo, ſed ad majora feſtinat oratio. Infinito enim prope annorum ſpatio Italiæ gens hæc poenitus infixa, atque e Patriæ ſuæ laribus, dominationeque nunquam egreſſa, quid oſtendit aliud, quid ſignificat, niſi peculiari quadam animi moderatione eruditam, atque informatam, ſatius duxiſſe perfrui ſuis, quam alienis rebus per vim injuriamque imperare. Si enim oculos ad ea, quæ nota ſunt, hiſtoriarum monumenta convertamus, mirari profecto deſinemus, cur Principes, Populique quam plurimi licet immenſorum imperiorum, & cupidi, & compotes, ſponte tamen multa dimittere, quam retinendis iis univerſa incommodius regere maluerint.

Auguſtus certe magnus Imperator cum multas præterea gentes adjicere Romanis Provinciis, nullo ferme negotio poſſet, non modo ab iis ſubigendis abſtinuit, ſed etiam moriens conſilium, ut Tacitus animadvertit, coercendi intra terminos imperii reliquit ſucceſſoribus. Hadrianus etiam acer, & doctus Cæſar tres Provincias nobiles Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Perſarum conceſſit imperio, &, ut Spartianus contendit, omnia trans Euphraten, & Tygrim, quæ Trajanus maximo labore, multiſque expeditionibus ad Indum uſque flumen domuerat, reliquit, exemplo, ut ajebat Catonis,

 qui

qui Macedonas liberos pronunciavit, quod diu tute teneri non poterant. Etiam Diocletianus Princeps, & ipse gloriæ avidus imperii fines à meridie supra Ægyptum coarctavit. Quæ quidem res tot, tamque longe dissitos populos non sacris conjunctos, non lingua, non moribus hanc in animorum, studiorumque societatem contraxit, ut sola utilitatis, & securitatis ratione sibi proposita cætera omnia posthabuerint. Augustius certe, sed felicius regnare voluerint; cum commodius existimassent dimitti quid quid, aut retentum plus invidiæ, quam virium adferret, aut vacillans difficultatibus, periculisque plurimis Dominos suos involuerent, aut avulsum, & dedecus ingens inferret, & vulnus inconsolabile. Hinc qui ad explendam titulorum, opumque incredibilem sitim naturæ leges, & fas hominum conculcare pensi nihil habuerunt, ii profecto moderationem omnem, & per fastidium aversati sunt, aut contemtu eluserunt, aut præ solita rabie, fortassis etiam ira, odio, postremo sua illa immanitate prosecuti sunt, sæpe etiam in apertum malorum discrimen pristina splendoris ornamenta detruserunt.

Longe alia mihi nunc oratio contigit, de maximis æque Principibus, eoque animo eruditis verba faciendi, apud quos minime timendum fuit, ne locum crudeles istæ, & ab omni æquitate ab-

hor-

horrentes ſententiæ repertæ ſint. Quod enim fretum, quem euripum tot motus, tantas, ac tam varias habere putamus agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habuit omni ſane tempeſtate genus AQUAVIVUM. Fortiſſimos equidem, ac ſingulari animi moderatione præditos eos Principes judicare debemus, qui remoti à ſtudiis ambitionis, atque effræna imperandi cupiditate alieni, nunquam veræ virtutis nomen deſeruerint, & in tanto maximarum rerum diſcrimine, tanto, ac tam vario dominationis jure præ oculis ſemper publicam utilitatem Regium ſplendorem, & ſubditorum ſuorum incolumitatem habuerint. Ita equidem exiſtimo, & mecum ſentiunt omnes. Novimus enim genus Aquavivum, ſtudia quoque generis, familiæ virtutis, humanitatis, cum plurimarum artium, atque optimarum doctrina compoſita; nota cunctis ſunt omnia. Novimus etiam Te Princeps DOMINICE, PATREMQUE tuum, num magis carere his omnibus inſignium, atque feudorum ſplendoribus volueritis, quam fæda illa dignitatis nota teneri. Neque enim licuit aliter veſtro generi, ut quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehenderitis. Hinc plane nemo mirari debet humana conſilia divina neceſſitate eſſe ſuperata, ut in ea celſiſſima ſede dignitatis omni ſane ævo gens veſtra fuerit collocata. Quid enim

Re-

Reges plerique cum hac familia egerunt, nisi ut ejusdem decus tuerentur, & dignitatem? Quid? Dum unanimi populorum omnium consensione, tam domesticorum, quam externorum recoleretur. Quod cum Principes, privatique omnes in ea omnia ornamenta expressissent, tum ipse Rex Ladislaus plurima, & maxima. Quæ si honorum significationes cæterorum laudibus obscuritatem attulerunt, nova profecto dignitas ab ipso Ladislao Rege celeberrimo ANTONIO I. Aquavivo commendata exterorum omnium Europæ Principum insignia facile superavit. Eo enim factum est, ut primum ipsa in Italia gens AQUAVIVA Ducis titulo decoraretur, isque primatus supra cæteros alios publica Regum omnium auctoritate perpetuo decerneretur.

Quod si quem ejusmodi fortasse reperiemus, qui cum parem aliorum dignitatem commendare velit, primum etiam in Italia aliis Principibus tributam censeat, quam Aquaviva gens eam præseferret, quæso jam judicetur; ut re perspecta temere conceptam opinionem tandem aliquando incipiam deponere. Si vero talem aliquem, nequidquam invenerimus, nolint jam nebulones, reiquæ publicæ pestes, ac sordes amplius deblaterare, aut imperitorum vanis vocibus, sed judicio, testimonioque sapientissimorum acquiescere.

Ita-

Itaque, quod de commemorandis tantæ familiæ splendoribus suscepi, nollem sic accipiendum, ut quanta illa omnino fuerit, quibus ingenii, animique virtutibus, quibus corporis dotibus effloruerit, quam in consultando sagax, in exequendo felicissima, quæ pro regni sui negotiis pericula, quos labores substinuerit, quæque ex iis præmia, quos honores exceperit, expositurum esse quisquam arbitretur. Sed ut ex immenso prorsus insignium cumulo tantum a me delibari patiatur, quantum patria ipsa traditio, & scriptorum monumenta in ea tot vetustissimorum temporum caligine colligere valuerint. Non enim modo neminem in Europa conspicio, quin virtutes, gloriamque Aquavivi nominis, & teneat præclare, & assidue veneretur. Sed etiam si fieri potuisset, ut quis ex remotissimis terrarum orbis partibus in Italiam advectus rebus aliis interveniret, is tamen ipse eum in perspiciendis gentis Italicæ insignibus, incomparabilem illam dignitate numeroque frequentiam egregiorum facinorum AQUAVIVÆ familiæ offendisset, nullo plane negotio conjiceret, eam vel Principem inter cæteras alias locum jure, ac merito obtinuisse.

Quæ cum ita sint, quid de tantorum Principum fama futurum erit? Ita ne vero, cum in tantis laboribus, tantisque periculis gens hæc ver-

verſata ſit, tam redundantem ubique gloriæ copiam reliquerit, ſi nihil longius, quam vitæ termini poſtulant, ſpe atque animo de ſe, & memoria ſua cogitaſſet, omnia ſua ſecum una moritura arbitraretur. Non ita eſſe profecto confidimus, nec quiſquam in tanto ſplendore, laude, ac virtute verſatos Principes admiratur, quin immortalitatis gloriam auguretur. Itaque cum multis aliis de cauſis egregiorum virorum mentes divino quodam numine ducantur, tum maxime, quod optimi, & ſapientiſſimi cujuſque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur. Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit; immenſum vero gloriæ. Quare cum ſingulos clariſſimæ hujus familiæ Principes nulla unquam priſcorum temporum injuria obliteraverit, nulla barbararum gentium immanitas depreſſerit, ſed omnis ævi, omnium populorum memoria illuſtraverit, unum porro reliquum videtur, ut tot, tam variis, tamque eximiis omnium gentium gratulationibus, poſterorum quoque æterna propagatio perfruatur.

F I N I S.

